This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Gx
9
987

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Ex 9.987

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

QUAESTIONES
IN XENOPHONTIS DE REPUBLICA LACEDAEMONIORUM LIBELLO INSTITUTAE.

G. 121

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

DIE XV. MENSIS IANUARII A. MDCCCLXXXIV

IN PUBLICO DEFENDET

ALBERTUS WULFF

RHENANUS.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXIV.

SG x 4.987

HARVARD UNIVERSITY
AUG 7 19
LIBRARY

Constantius Fund

IOANNI MATTHIAE STAHLIO

SACRUM.

Multa inter Xenophontis scripta spuria inveniri atque subditicia usque ad nostram fere aetatem cur fugerit interpretes iure mireris. Nam etsi Demetrius Magnes, ut Diogenes Laertius II 57 testatur, utrumque commentarium, et eum quo de Atheniensium et eum quo de Lacedaemoniorum republica agitur, abiudicandum esse Xenophonti contenderat, nemo tamen aut antiquorum aut recentiorum ante Valckenarium[1]) sententiam eius curavisse quicquam videtur. Recte autem de libello qui *Ἀθηναίων πολιτεία*[2]) inscribitur illum iudicasse praeter Cobetum[3]) vix iam negare quisquam audebit. Verum ut alia quae Xenophonti immerito attribuuntur, veluti apologia, libellus de vectigalibus, quin genuina essent nihil Demetrius in dubium vocavit, ita de opusculo cui *Λακεδαιμονίων πολιτεία* inscribitur audacius tulisse iudicium videtur. Fuerunt sane haud pauci qui auctoritate eius seducti spurium esse hunc commentarium demonstrare conarentur; sed eorum argumenta non sufficere sollerter docuit Haasius.[4]) Novam deinde Lehmannus[5]) iniit rationem, qui ad Isocratis Panathenai-

[1]) Scholae in Novum Testamentum. vol. I p. 168.

[2]) A. Kirchhoffius (Über die Schrift vom Staate der Athener. Abh. d. Kgl. Ak. d. W. zu Berlin 1874 et Über die Abfassungszeit der Schrift vom Staate der Athener. Abh. d. Kgl. Ak. d. W. zu Berlin 1878) anno 424 a. Chr. n. scriptum esse hoc opusculum arbitratur, quod ad dialogum boni cuiusdam scriptoris revocandum esse C. Wachsmuthius (Commentatio de Xenophontis qui fertur libello *Ἀθηναίων πολιτεία*. Ind. lect. Goetting. 1874) bene ostendit. Utrique oblocutus est Mueller Struebingius (*Ἀθηναίων πολιτεία*. Die attische Schrift vom Staat der Athener. Philol. Suppl. IV. 1880. p. 1 sqq.), qui de aetate, origine, forma libelli minus probabilia protulit.

[3]) Novae lectiones. Lugd. Bat. 1858. p. 706.

[4]) Xenophon de republica Lacedaemoniorum. ed. Berol. 1833. p. 3 sqq.

[5]) Die unter Xenophons Namen überlieferte Schrift vom Staate der Athener und die panathenaische Rede des Isocrates in ihrem gegenseitigen Verhältnisse. Greifswald 1859. Lehmanni coniecturam H. Beckhausius (De Xenophontis qui fertur Agesilao. Berol. 1863. p. 64 et Der jüngere Xenophon und Isocrates. Zeitschr. f. d. Gymnasialw. 26. Berlin 1872. p. 225 sqq.) ita probavit ut illum Isocratis discipulum Xenophontem minorem, Grylli filium, Xenophontis nepotem, fuisse diceret.

cum respicere hunc libellum et a discipulo quodam eius oratoris confectum esse opinatur, et Dindorfius [1]) complures per libellum novicias sibi detexisse locutiones videtur, unde eum non Xenophontis sed multo posterioris esse aetatis intellegeretur. Quos admodum scite Naumannus [2]) redarguit, qui cum iis quae praeter dubitationem Xenophontea ducit operibus diligentissime hunc libellum ita comparavit ut permulta afferret elocutionis non magis quam sententiarum exempla quae ipsum Xenophontem eius esse scriptorem facile ostendunt. Sed de tradita libelli forma Naumannus et, qui in universum ei assentitur, Steinius [3]) iusto benignius iudicarunt; neque minus de aetate eius parum probabilia interpretes protulisse existimamus.

Quare operam nobis non perdidisse videmur quod quaestiones de hoc libello motas necdum absolutas pro virili parte denuo tractandas suscepimus. Atque in hac re eum sequemur ordinem ut primum nonnullos quibus offendimur locos paulo accuratius spectemus, deinde de fato libelli quid videatur et quo tempore conscriptus sit, tum de cap. XIV disseramus.

I.

I 4.[4])

ὁ δὲ Λυκοῦργος . . . . ταῖς δ' ἐλευθέραις μέγιστον νομίσας εἶναι τὴν τεκνοποιίαν πρῶτον μὲν σωμασκεῖν ἔταξεν οὐδὲν ἧττον τὸ θῆλυ τοῦ ἄρρενος φύλον· ἔπειτα δὲ δρόμου καὶ ἰσχύος, ὥσπερ καὶ τοῖς ἀνδράσιν, οὕτω καὶ ταῖς θηλείαις ἀγῶνας πρὸς ἀλλήλας ἐποίησε, νομίζων ἐξ ἀμφοτέρων ἰσχυρῶν καὶ τὰ ἔκγονα ἐρρωμενέστερα γίγνεσθαι.

Quo clarius quam egregia Lycurgi instituta essent ac praecepta ostenderet scriptor, plerumque eam iniit rationem ut pri-

---

[1]) Xenophontis opuscula politica etc. ed. Oxon. 1866. praef. p. VIII sqq.

[2]) De Xenophontis libro qui *Λακεδαιμονίων πολιτεία* inscribitur. Diss. Berol. 1876. p. 6 sqq.

[3]) Bemerkungen zu Xenophons Schrift „Vom Staate der Lacedaemonier". Beilage zum Gymn.-Progr. Glatz 1878.

[4]) Scriptoris verba afferens, nisi quid mutatum esse adnotavi, Dindorfii secutus sum editionem.

mum quos mores, quas leges ceteri sequerentur Graeci narraret, deinde exponeret quae Lycurgus illis meliora instituisset. Iam sicuti res tractandae ferebant, aut singulas Lycurgi leges cum singulis ceterarum civitatum composuit aut complures cum compluribus. Qua in re cum ratione versatus est et consilio neque unquam ceterorum mores descripsit, quin accurate eas adderet leges Lycurgeas quae illis respondere viderentur. Conferas enim II 1—6, ubi de puerorum agitur eruditione et ceterorum Graecorum et Spartiatarum; atque § 1 quidem ceterorum erudiendi ratio, §§ 2—6 disciplina Lycurgea profertur, quam omnino ab illa discrepare longius explanatur. Itemque VI 1 postquam narravit scriptor alibi suos quemque regere liberos, suis uti servis atque rebus, deinde ostendit Spartae et liberos ab omnibus communiter regi et servorum rerumque omnium (canum, equorum, ciborum) communem esse usum.

Iam videamus num hoc quoque de quo agitur loco scriptor sibi constare videatur. Loquitur autem *περὶ τεκνοποιίας*, ut ipsius utar verbis, ac primum de puellarum educatione. Atque ceteri quidem Graeci, ait fere § 3, quam parcissimo puellas cibo et potu nutriunt; vinum vero aut nullum iis praebent aut aquae mixtum; denique tanquam opifices qui sedentes vitam agunt, ita filias volunt sedentes lanam texere. Contra Lycurgus (ita pergit § 4) ingenuas puellas, quarum summum esset liberos pariendi officium, primum corpora haud minus exercere iussit quam virilem sexum; deinde ut viris ita mulieribus certamina instituit cursus ac roboris, ratus, si utrique essent robusti, etiam liberos fore robustiores. Apparet haec quae de Spartanis proferantur iis quae de ceteris dicantur Graecis parum respondere. Nam quid parcus ceterarum virginum victus commemoratur, si quid Lycurgus ea de re praeceperit non audimus? Hic procul dubio satis largum puellas sumere cibum iussit, ne in corporibus exercendis vires eas deficerent. Verum quidni hoc aperte dicitur? Quare quae ad Spartanarum victum pertinerent excidisse verba complura existimamus assensi Weiskio,[1]) qui desiderari aliquid hoc loco recte animadvertit. Atque statuenda videtur lacuna esse post

[1]) Xenophontis scripta ed. Lipsiae 1798 sqq. vol. VI.

φίλου, ante ἔπειτα vocem, quippe quo loco aptissime scriptor quae desunt explicativo fortasse enuntiato commemorare potuerit.

II 5—6.

νομίζων (scil. ὁ Λυκοῦργος) τοὺς οὕτω παιδευομένους μᾶλλον μὲν ἂν δύνασθαι, εἰ δεήσειεν, ἀσιτήσαντας ἐπιπονῆσαι, μᾶλλον δ' ἄν, εἰ παραγγελθείη, ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σίτου πλείω χρόνον ἐπιταθῆναι, ἧττον δ' ἂν ὄψου δεῖσθαι, εὐχερέστερον δὲ πρὸς πᾶν ἔχειν βρῶμα, καὶ ὑγιεινοτέρως δ' ἂν διάγειν, καὶ εἰς μῆκος ἂν αὐξάνεσθαι τὴν ῥαδινὰ τὰ σώματα ποιοῦσαν τροφὴν μᾶλλον συλλαμβάνειν ἡγήσατο ἢ τὴν διαπλατύνουσαν τῷ σίτῳ.

Recte Cobetus [1]) verborum καὶ εἰς μῆκος αν αὐξάνεσθαι cum iis quae sequuntur coniunctionem ineptam esse vidit. Nam cum illud εἰς μῆκος αὐξάνειν plane sit idem quod ῥαδινὰ τὰ σώματα ποιεῖν, foret igitur rerum contextus hic: victum qui procera redderet corpora magis ea procera reddere putavit quam sqq. Mira sane sententia, quam qui genuinam esse duceret puerilem scriptori tautologiam imputaret. Accedit quod συλλαμβάνειν verbum rectius erat, ut solet, cum articulo τοῦ vel εἰς τό, [2]) non cum solo infinitivo coniungendum. Nam etsi nonnunquam hoc verbum accusativum habet adiunctum, ut Cyrop. VII 5, 49 εἰ ταῦτα προθύμως σοι συλλάβοιμι, nudus tamen infinitivus eo non defenditur. Itaque Weiskius ante ὑγιεινοτέρως et εἰς μῆκος mente supplendum esse εἰς τό voluit, Schneiderus [3]) τοῦ ante εἰς μῆκος addidit, sed frustra uterque, cum rerum contextus dilucide ostendat verba τὴν ῥαδινά κ. τ. λ. ab iis quae antecedunt omnino seiungenda esse. [4]) Atque satis liquet ante verba τὴν ῥαδινά nonnulla evanuisse, quae ipsa quidem restitui nequeunt, sed qualem sententiam habuerint suspicari possumus. Comparat autem Dindorfius

---

[1]) L. c. p. 727.

[2]) Velut Cyrop. I 6, 25 πάντα γὰρ ταῦτα εἰς τὸ φιλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀρχομένων συλλαμβάνει, Hipparch. I 22 ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦ καλῶς γε ὁπλισθῆναι τοὺς ἱππέας οἱ φύλαρχοι ἄν μοι δοκοῦσι μέγιστον συλλαμβάνειν.

[3]) Xenophontis quae exstant. ed. Lipsiae 1815. vol. VI.

[4]) Idem cadit in Riemanni coniecturam, quem καὶ εἰς <τὸ εἰς> μῆκος [ἄν] αὐξάνεσθαι proposuisse (Revue de philol. VII p. 22) absoluta demum hac commentatione comperi.

Plut. Lyc. 17 *γλίσχρον γὰρ αὐτοῖς ἐστι δεῖπνον, ὅπως δι᾽ αὐτῶν ἀμυνόμενοι τὴν ἔνδειαν ἀναγκάζωνται τολμᾶν καὶ πανουργεῖν. καὶ τοῦτο μὲν ἔργον τῆς ὀλιγοσιτίας· πάρεργον δέ φασι τὴν τῶν σωμάτων αὔξησιν. φέρεται γὰρ εἰς μῆκος, ὅταν τὸ πνεῦμα μὴ πολλὴν σχῇ διατριβὴν καὶ ἀσχολίαν ὑπὸ πλήθους τροφῆς εἰς βάθος καὶ πλάτος πιεζόμενον, ἀλλ᾽ ἄνω βαδίζῃ διὰ κουφότητα τοῦ σώματος ἐκλύτως καὶ ῥαδίως ἐπιδιδόντος. τὸ δ᾽ αὐτὸ καὶ καλοὺς δοκεῖ ποιεῖν· αἱ γὰρ ἰσχναὶ καὶ διάκενοι μᾶλλον ἕξεις ὑπακούουσι πρὸς τὴν διάρθρωσιν· αἱ δ᾽ ὀγκώδεις καὶ πολύτροφοι διὰ βάρος ἀντιβαίνουσιν,* quem pleniore esse hoc libello usum inde quod fusius ea de re disseruit non efficitur.[1]) Multo minus quae Ps. Plut. Instit. Lacon. 237 e f exhibet: *γλίσχρον γὰρ αὐτοῖς ἐστι δεῖπνον, ὅπως δι᾽ αὐτῶν ἀμινόμενοι τὴν ἔνδειαν ἀναγκάζωνται τολμᾶν καὶ πανουργεῖν. τὸ δὲ ἔργον τῆς σιτοδείας διά τε ταῦτα γλίσχρον ἦν, ἵν᾽ ἐθίζωνται μηδέποτε γίνεσθαι πλήρεις, δύνασθαι δὲ πεινῆν. οὕτω γὰρ ᾤοντο καὶ ἐν πολέμῳ χρησιμωτέρους ἔσεσθαι, εἰ δύναιντο καὶ ἀσιτήσαντες ἐπιπονῆσαι, καὶ ἐγκρατεστέρους δὲ καὶ εὐτελεστέρους, εἰ πλείω χρόνον διάγοιεν ἀπὸ μικρᾶς δαπάνης· τὴν δ᾽ ἀνοψίαν ἀποφέρειν, τῷ βρῶμα τὸ τυχὸν προσφέρεσθαι ᾤοντο ὑγιεινότερα τὰ σώματα ἀπὸ τῆς ἐλλειπούσης ποιεῖν τροφῆς καὶ αὔξειν εἰς βάθος καὶ πλάτος μὴ πιεζόμενον ἐπαίρειν εἰς ὕψος τὰ σώματα καὶ καλὰ δὲ ποιεῖν· τὰς γὰρ ἰσχνὰς καὶ διακένους ἕξεις ὑπακούειν πρὸς τὴν διάρθρωσιν, τὰς δὲ πολυτρόφους διὰ βάρος ἀντιβαίνειν* ad integriorem revoces locum Xenophontis necesse est, cum Plutarchea sint cum Xenophonteis permixta. Sane quidem non ita improbabile est etiam de pulchra eorum qui sic educarentur corporis forma hoc loco Xenophontem locutum esse. Sed Dindorfius quod genuinam sententiam hanc fere fuisse existimat: *καὶ εἰς μῆκος δ᾽ ἂν αὐξάνεσθαι <ᾤετο καὶ εὐειδεστέρους* vel *καλλίους γίγνεσθαι, πρὸς ἀμφότερα> τὴν ῥαδινὰ τὰ σώματα ποιοῦσαν τροφὴν μᾶλλον συλλαμβάνειν ἡγησάμενος ἢ τὴν διαπλατύνουσαν* difficultatem quam verba tradita efficiunt non tollit, quoniam *ἀμφότερα* vox partim certe ad verba *εἰς μῆκος αὐξάνεσθαι* respiceret; atque Stobaei, quem secutus Dindorfius *δ᾽* post *μῆκος* addere et *ἡγησάμενος* scribere vult, satis dubia est auctoritas, cum scriptoris ille verba suo arbitrio

[1]) Vid. infra p. 49.

saepius mutaverit, id quod ipse Dindorfius concedit. Melius Cobetus: <πρὸς γὰρ ῥώμην τε καὶ τάχος> vel <εἰς γὰρ ἰσχύν τε καὶ τάχος> τὴν ῥαδινὰ ..... ἡγήσατο ἢ κ. τ. λ., qui omnem loci offensionem ita sustulisse sibi videtur. Sed residet scrupulus de verbis καὶ εἰς μῆκος ἂν αὐξάνεσθαι, quae num satis apte cum iis quae praecedunt coniungantur dubitamus. Nam comparativos μᾶλλον, ἧττον, εὐχερέστερον cum simplex δέ particula ubique sequatur, καί ante ὑγιεινοτέρως additum ostendere videtur sententiam illam verbis καὶ ὑγιεινοτέρως δ' ἂν διάγειν finitam esse. Quare si quidem haec qualia tradita accepimus verba ab ipso scriptore profecta sunt, verba καὶ εἰς μῆκος ἂν αὐξάνεσθαι reliquiae esse novi cuiusdam enuntiati videntur quo de pulchra et procera eorum qui sic educarentur corporis forma dictum sit. Deinde sic fere vel similiter processisse videtur oratio: <καὶ γὰρ πρὸς ῥώμην τε καὶ τάχος> τὴν ῥαδινὰ κ. τ. λ.

II 9.

καὶ ὡς πλείστους δὴ ἁρπάσαι τυροὺς παρ' Ὀρθίας καλὸν θεὶς μαστιγοῦν τούτους ἄλλοις ἐπέταξε, τοῦτο δὴ δηλῶσαι καὶ ἐν τούτῳ βουλόμενος ὅτι ἔστιν ὀλίγον χρόνον ἀλγήσαντα πολὺν χρόνον εὐδοκιμοῦντα εὐφραίνεσθαι. δηλοῦται δὲ ἐν τούτῳ ὅτι καὶ ὅπου τάχους δεῖ ὁ βλακεύων ἐλάχιστα μὲν ὠφελεῖται, πλεῖστα δὲ πράγματα λαμβάνει.

Respicientes ea quae praecedunt videmus de furtis esse puerorum deque poena eorum sermonem qui furantes deprehensi sint; hos enim ait scriptor, ut qui rem suam male gesserint, multum vapulare. Deinde igitur pergit sic fere: 'Atque cum quam plurimos caseos de Orthiae ara rapere laude dignum proposuisset, hos flagellari ab aliis iussit, ut scilicet hoc etiam hac in re ostenderet, fieri posse ut qui breve tempus dolorem passus esset diu deinde gloria laetaretur. Unde apparet illic quoque ubi celeritate opus sit segnem quemque minimum capere utilitatis, difficultates sibi parare plurimas.' Sed haec rerum cohaerentia sensu idoneo omnino caret. Voluit enim Lycurgus, sicuti ex superioribus verbis elucet, ut qui in furto deprehensi essent pueri virgis caederentur. Contra hoc loco dicere scriptor videtur eos qui quam plurimos caseos surripuerint flagellari, postquam ipse tamen antea dixit ὡς πλείστους ἁρπάσαι τυροὺς καλὸν θείς. Nonne haec sibi ad-

versantur? Nam si qui multos surripuerunt caseos laudem sibi pararunt eminentque inter aequales, num iidem ita possunt honorari ut flagellis caedantur, quippe quod poenae esse genus modo audiverimus? Nisi vero alios pueros ut punirentur, alios ut praemio vel honore afficerentur flagellatos esse putaveris. At ita ad unum omnes verberati essent, et pigri et strenui, neque de poena posset magis quam de honore vel praemio sermo fieri, quoniam alterum idem foret quod alterum. Insuper autem quid illud ἄλλοις valeat vix perspicias; namque hoc satis consentaneum est, non ipsum se quemquam flagellasse. Sententia quidem loci postulare videtur ut ea voce alii pueri designentur[1]); sed eos qui rapiendi celeritate laudem meruissent ab aliis qui minorem aut nullam praestitissent virtutem virgis vel flagellis esse caesos permirum atque absurdum videtur.

Iam si alteram huius enuntiati partem (τοῦτο δὴ δηλῶσαι .... εὐφραίνεσθαι) consideramus, hanc ab iis quae antecedunt prorsus alienam esse statim apparet. Est enim ita sine dubio accipienda ut ad verbera ultro cum laude constantiae ac fortitudinis tolerata pertineat, minime vero ad talia quae quis sive poenae sive praemii gratia tolerare cogatur. Atque sollemnis illa διαμαστίγωσις quam vocant significari his verbis videtur, qua ex instituto Lycurgi quotannis omnes pueri vel adulescentes Spartani ad Dianae Orthiae aram flagellabantur. Quod recte Haasius vidit, cuius tamen locum restituendi conatum nemo probabit. Ratus enim etiam priorem huius enuntiati partem, qua de rapiendi celeritate sermo est, ad διαμαστίγωσιν illam spectare, τυρούς vocem in τύπους aut in τύλους mutatam vult, τύπους interpretatus ‘verberum vestigia et notas’, τύλους ‘carnem quae occalluit et durior facta est in cicatrice’. Neutrum neque aptum est hoc loco nec ferendum. Nam ut omittam ἁρπάσαι τύπους (τύλους) miram esse locutionem quae ne uno quidem exemplo defendatur, quanam corporis parte pueros verbera vel notas potius verberum excepisse putemus nisi tergo? Quid igitur iuvabat, si quis sescenta tergo suo verberum notas exceperat, cum aut raro aut nunquam conspicerentur? Profecto,

[1]) Verum pueros voce ἄλλοις significari ita demum satis erit manifestum, si articulum τοῖς addideris, ut intellegantur ceteri (scil. pueri).

si quam ille statuit sententiam exprimere scriptor voluisset, non de notis locutus esset verberum sed de verberibus ipsis. Praeterea pronomen *τούτους*, quod in illa sententia non habet quo referatur, ad adulescentes in universum spectare posse Haasio nemo credet. Sed reiciendam esse illius rationem omnes videntur consentire. Iam igitur videamus quid Steinius ad expediendum hunc locum protulerit.[1]) Qui quod Haasius coniecerat *τίντους* retinendum sed ita interpretandum esse existimat ut imagines vel sigilla ('Götterbildchen') scil. Dianae Orthiae significentur. Opinatur enim flagellationi illi sollemni caerimoniam aliquam antecessisse religiosam qua pueri sigilla Dianae rapere studuerint in ara huius deae collocata. Eos autem qui aliquod sigillum surripuissent deinde captos et per poenae speciem flagellatos esse, quod qui sustinuissent hos *βωμονίκας* esse appellatos.[2]) Sed quominus probetur illius sententia imprimis obstant testimonia veterum, qui talem *διαμαστιγώσει* praemissam caerimoniam non commemorant, sed de hac flagellatione ita loquuntur ut non aliquot sed omnes pueros ad eam admissos esse significare videantur. Cf. Ps. Plut. Instit. Lac. 239 cd *οἱ παῖδες παρ' αὐτοῖς ξαινόμενοι μάστιξι δι' ὅλης τῆς ἡμέρας ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τῆς Ὀρθίας Ἀρτέμιδος μέχρι θανάτου πολλάκις διακαρτεροῦσιν ἱλαροὶ καὶ γαῦροι ἁμιλλώμενοι περὶ νίκης πρὸς ἀλλήλους, ὅστις αὐτῶν ἐπιπλέον τε καὶ μᾶλλον καρτερήσειε τυπτόμενος· καὶ ὁ περιγενόμενος ἐν τοῖς μάλιστα ἐπίδοξός ἐστι. καλεῖται δὲ ἡ ἅμιλλα διαμαστίγωσις· γίνεται δὲ καθ' ἕκαστον ἔτος.* Tertull. ad martyr.[3]): nam quod hodie apud Lacedaemonios sollemnitas maxima est *διαμαστίγωσις* non latet; in quo sacro ante aram nobiles quique adulescentes flagellis affliguntur astantibus parentibus et propinquis et uti perseverent adhortantibus. Pausan. III 16, 7 *καί σφισιν ἐπὶ τούτῳ γίνεται*

[1]) L. c. p. 24 sqq.

[2]) Ipsa afferre Steinii verba liceat: 'Natürlich wurden nicht alle Epheben mit Ruthen gepeitscht, sondern nur diejenigen, welche so glücklich gewesen waren, ein Götterbildchen zu rauben, und es galt, wie unsere Stelle lehrt, als Ehrensache, ein solches zu erbeuten. Diejenigen, welche siegreich den Raub ausgeführt und auch die folgende Geisselung bestanden hatten, wurden *βωμονῖκαι* oder Sieger am Altare genannt.'

[3]) Ed. Semleri vol. IV p. 72.

λόγιον αἵματι ἀνθρώπων τὸν βωμὸν αἱμάσσειν· θυομένου δὲ ὄντινα ὁ κλῆρος ἐπελάμβανε, Λυκοῦργος μετέβαλεν ἐς τὰς ἐπὶ τοῖς ἐφήβοις μάστιγας, ἐμπίπλαταί τε οὕτως ἀνθρώπων αἵματι ὁ βωμός. ἡ δὲ ἱέρεια τὸ ξόανον ἔχουσά σφισιν ἐφέστηκε. Praeterea cf. Cic. Tusc. II 14 Spartae vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur ut multus e visceribus sanguis exeat, nonnunquam etiam, ut cum ibi essem videbam, ad necem; quorum non modo nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem. Seneca de prov. 4 numquid tu invisos esse Lacedaemoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur ut ictus flagellorum fortiter perferant et laceros ac semianimos rogant perseverent vulnera praebere vulneribus. Hygin. fab. 261 sive Serv. ad Verg. Aen. II 116 ad Laconas Diana translata est, ubi sacrificii consuetudo adulescentum verberibus servabatur qui vocabantur *βωμονῖκαι*, quia aris superpositi contendebant qui plura posset verbera sustinere.

Apparet autem *διαμαστίγωσιν* non certo modo aut tempore terminatam, ut Steinius putat[1]), sed certamen fuisse unde ii qui diutissime in perferendis plagis perseverassent victores discederent. Iam cum verba *ὡς πλείστους . . . καλὸν θείς* clare ostendant etiam ut quam plurimos[2]) caseos vel, ut ille vult, sigilla raperent pueros inter se certasse, qua ratione haec duo certamina diversa inter se coniuncta fuerint nequaquam perspicitur. Quid enim, si quis plurima quidem omnium sigilla rapuerat certeque magnam laudem meruerat, contra in verberibus sustinendis minorem quam ceteri praestabat fortitudinem, numquid etiam hic inter *βωμονίκας* referebatur? Et ne ea quidem quam *ἀλγήσαντα* movet offensio Steinii emendatione tollitur. Est enim unicuique perspicuum illud *ἀλγήσαντα*, quòd, cum rapina ipsa cum doloribus non sit coniuncta, ad *ἁρπάσαι* referri nequeat, ad solum

---

[1]) Nam dicit 'die folgende Geisselung bestanden hatten'.

[2]) *τούτους* pronomen Steinius 'diejenigen, welche so glücklich gewesen waren, ein Götterbildchen zu rauben' parum recte interpretatur. Nam si, id quod dubitamus, illud pronomen interpretationem admittat, nihil aliud videatur significare quam eos qui quam plurimos caseos (sigilla) rapuerunt. Multos autem surripere caseos vel sigilla paucissimis tantum contigisset, ita ut paucissimi ad *διαμαστίγωσιν* admissi essent, quod verum non esse e locis allatis apparet.

respicere *μαστιγοῦν*. Quodsi ad laudem parandam alterum certamen (scil. verbera sustinendi) sufficiebat (*ἔστιν . . . . ἀλγήσαντα . . . εὐδοκιμοῦντα εὐφραίνεσθαι*), cur imaginum rapina in hac sententia omnino commemoretur non intellegimus. Sed iam supra mihi ostendisse videor priorem huius enuntiati partem (*καὶ ὡς πλείστους . . . ἐπέταξε*), qua de rapinis agitur, ab iis quae sequuntur quovis pacto secernendam esse, atque vel inde colligitur Steinii coniecturam nullam prae se speciem ferre probabilitatis. Quam quo iure Naumannus [1]) tanquam eximiam emendationem praedicare potuerit non assequimur.

Iam si quae nativa huius loci fuerit forma quaesiveris, certi contendere nihil ausim, cum vitium eius altius residere videatur quam quod neglegenti cuidam librario iure crimini vertas. Neque concedimus Schneidero sola verba *καὶ ὡς πλείστους δὴ ἁρπάσαι τυροὺς καλὸν θείς* ex hac rerum cohaerentia eximenda esse; quae ille ad superiora quibus de furto agitur pertinere arbitratus post *ἐπικουροῦντας* vocem § 6 excidisse et huc delata esse contendit. Sed illic furandi tantummodo mos exponitur (*κλέπτειν* § 6, *κλωπεύειν* § 7, *τὸ κλέπτειν, κλέπτοντας* § 8), hic rapiendi (*ἁρπάσαι*), qui mores a scriptore esse seiuncti videntur. Praeterea caseos surripuisse pueri videntur, ut certamen quoddam celeritatis inirent; de celeritate autem supra minus sermo est quam de dolo et astutia. Itaque quo leguntur loco verba *καὶ ὡς πλείστους . . . . . θείς* retinenda esse puto, praesertim cum in caseorum cum ara Dianae coniunctione, quae multos offendit, nihil videam difficultatis. Nam si quidem caseo Spartani multo vesci solebant, quod Plut. Lyc. 12 et schol. ad Plat. Legg. 633 a et Dicaearchus in Tripolit. apud Athenaeum 141 c testantur, [2]) nihil omnino mirum est caseos Spartae etiam ad sacrificia adhibitos esse. Celeritatis autem certamen cum caseos raperent pueros inisse dilucide cognoscitur verbis posterioris enuntiati *δηλοῦται δὲ ἐν τούτῳ ὅτι καὶ ὅπου τάχους δεῖ ὁ βλακεύων ἐλάχιστα μὲν ὠφελεῖται, πλεῖστα δὲ πράγματα λαμβάνει*. Nam in caseis rapiendis re vera is qui lentior erat non solum laudem sibi parabat nullam, verum etiam,

[1]) Zeitschr. f. d. Gymnasialw. XXXIII p. 580.

[2]) Hos locos adscripsi infra p. 12.

cum rapiens ob segnitiem caperetur, turpem poenam subibat, eam videlicet ut a ceteris [1]) pueris virgis vel flagellis caederetur. Quoniam igitur sententia *δηλοῦται δὲ . . . . λαμβάνει* aptissime cum iis quae de rapiendi more dicuntur cohaeret, verba autem quae intercedunt *τοῦτο δὴ δηλῶσαι . . . . εὐφραίνεσθαι* procul dubio alio spectant, nihil dubitamus quin enuntiatum *δηλοῦται δὲ κ. τ. λ.* olim post *ἐπέταξε* verbum collocatum fuerit; nam sic demum sana cohaerentia evadit. Liquet autem *τούτους* pronomen significare eo loco *τοὺς ἁλισκομένους;* qualis notio cum ex superiore sententia subaudiri nequeat, ante *μαστιγοῦν* addenda esse verba *οἳ ἂν ἁλῶσι* vel similia putaverim, ita ut pristina totius loci forma haec fere fuerit: *καὶ ὡς πλείστους δὴ ἁρπάσαι τυροὺς παρ' Ὀρθίας καλὸν θείς, <οἳ ἂν ἁλῶσι> μαστιγοῦν τούτους <τοῖς> ἄλλοις ἐπέταξε· δηλοῦται δὲ ἐν τούτῳ ὅτι καὶ ὅπου τάχους δεῖ ὁ βλακεύων ἐλάχιστα μὲν ὠφελεῖται, πλεῖστα δὲ πράγματα λαμβάνει.* Deinde de sollemni omnium puerorum flagellatione locutus esse scriptor videtur, cuius sententiae maior pars periit et paucae restant reliquiae haece: *τοῦτο δὴ δηλῶσαι καὶ ἐν τούτῳ βουλόμενος ὅτι ἔστιν ὀλίγον χρόνον ἀλγήσαντα πολὺν χρόνον εὐδοκιμοῦντα εὐφραίνεσθαι.*

Ceterum alterum illud certamen caseos rapiendi pertinet fortasse ad ea quae Plut. Arist. 17 narrat: *ἔνιοι δέ φασι τῷ Παυσανίᾳ μικρὸν ἔξω τῆς παρατάξεως θύοντι καὶ κατευχομένῳ τῶν Λυδῶν τινας ἄφνω προσπεσόντας ἁρπάζειν καὶ διαρρίπτειν τὰ περὶ τὴν θυσίαν· τὸν δὲ Παυσανίαν καὶ τοὺς περὶ αὐτὸν οὐκ ἔχοντας ὅπλα ῥάβδοις καὶ μάστιξι παίειν.* Quodsi ita res se habet, satis recens ille mos erat Lycurgique aetate multo posterior. At *διαμαστιγώσεως* institutum antiquissimum erat, si quidem probabilia videntur quae Pausanias l. c. narrat, initio ad placandam Dianam Orthiam homines in ara eius immolatos esse; Lycurgum autem atrocem hunc morem ita mutavisse ut quotannis adulescentuli flagellarentur, quorum sanguine deae ara conspergeretur. Verum postea cum huius originis memoria paulatim evanuisset, etiam *διαμαστίγωσις* ad Persarum illum impetum referebatur, nisi vero Plutarchum duas illas flagellationes confudisse malis, cum l. c. sic pergeret: *διὸ καὶ νῦν ἐκείνης τῆς ἐπιδρομῆς μιμήματα*

[1]) Ante *ἄλλοις* videtur *τοῖς* articulus excidisse.

τὰς περὶ τὸν βωμὸν ἐν Σπάρτῃ πληγὰς τῶν ἐφήβων καὶ τὴν μετὰ ταῦτα τῶν Λυδῶν πομπὴν συντελεῖσθαι.

V 2—3.

καὶ σῖτον δὲ ἔταξεν αὐτοῖς ὡς μήτε ὑπερπληροῖσθαι μήτε ἐνδεεῖς γίγνεσθαι. πολλὰ δὲ καὶ παράλογα γίγνεται ἀπὸ τῶν ἀγρευομένων, οἱ δὲ πλούσιοι ἔστιν ὅτε καὶ ἄρτον ἀντιπαραβάλλουσιν.

Offensioni est quod commemorantur a scriptore ea quae *παράλογα*, i. e. praeter rationem vel inexspectato, a singulis interdum Spartanis ad cenam communem collata sint, omittuntur vero quae omnes lege obstricti conferre debuerint. Neque omnino audimus utrum publico sumptu, ut apud Cretenses, an ex singulorum tributis cena illa parata sit. Quae quidem fusius exponit Plut. Lyc. 12 *συνήρχοντο δὲ ἀνὰ πεντεκαίδεκα καὶ βραχὺ τούτων ἐλάττους ἢ πλείους. ἔφερε δὲ ἕκαστος κατὰ μῆνα τῶν συσσίτων ἀλφίτων μέδιμνον, οἶνου χοᾶς ὀκτώ, τυροῦ πέντε μνᾶς, σύκων ἡμίμναια πέντε· πρὸς δὲ τούτοις εἰς ὀψωνίαν μικρόν τι κομιδῇ νομίσματος. ἄλλως δὲ καὶ θύσας τις ἀπαρχὴν καὶ θηρεύσας μέρος ἔπεμψεν εἰς τὸ συσσίτιον. ἐξῆν γὰρ οἴκοι δειπνεῖν, ὁπότε θύσας τις ἢ κυνηγῶν ὀψίσειε, τοὺς δ' ἄλλους ἔδει παρεῖναι* et Dicaearchus in Tripolit. apud Athenaeum 141 c *συμφέρει δ' ἕκαστος εἰς τὸ φειδίτιον ἀλφίτων μὲν ὡς τρία μάλιστα ἡμιμέδιμνα Ἀττικά, οἴνου δὲ χοᾶς ἑνδεκά τινας ἢ δώδεκα· παρὰ δὲ ταῦτα τυροῦ σταθμόν τινα καὶ σύκων· ἔτι δὲ εἰς ὀψωνίαν περὶ δέκα τινὰς Αἰγιναίους ὀβολούς*, quo loco adduntur quae Sphaerus in Polit. Lac. l. III referat: *φέρουσι δὲ καὶ ἐπαΐκλα αὐτοὶ οἱ φειδίται· καὶ τῶν μὲν ἀγρευομένων ὑφ' αὑτῶν ἐνίοτε οἱ πολλοί· οὐ μὴν ἀλλ' οἵ γε πλούσιοι καὶ ἄρτον καὶ ὧν ἂν ὥρα ἐκ τῶν ἀγρῶν εἰς αὐτὴν τὴν συνουσίαν.* Praeterea cf. schol. ad Plat. Legg. 633 a *ἐκόμιζε δὲ ἕκαστος οἴκοθεν τὰ πρὸς τὸν μῆνα ἀρκέσοντα ἄλφιτα καὶ τυροὺς καὶ φοίνικας καὶ οἶνον. ὅσοι δὲ τούτων ἐν θήρᾳ ἢ θύοντες ἐτύγχανον μέρη ἐκ τούτων ἔπεμπτον τοῖς ἐν τῷ συσσιτίῳ.*

Quanquam ex hoc libello ea omnia hausta esse nemo credet, commemoratum tamen a Xenophonte hunc cenam parandi morem fuisse satis est probabile. Quod et eorum quae praeter legem sponte dabantur commemoratione cognoscitur et iis quae infra VII 3 legimus: *καὶ γὰρ δὴ τί πλοῦτος ἐκεῖ γε σποιδαστέος ἔνθα*

ἴσα μὲν φέρειν εἰς τὰ ἐπιτήδεια, ὁμοίως δὲ διαιτᾶσθαι τάξας ἐποίησε μὴ ἡδυπαθείας ἕνεκα χρημάτων ὀρέγεσθαι; Nam verba ἴσα φέρειν εἰς τὰ ἐπιτήδεια sine dubio ad tributa respiciunt quae omnibus Spartanis ad instruendam cenam communem conferenda erant.

Itaque post γίγνεσθαι verbum perisse complura existimamus quibus breviter fortasse narratum esset quid de paranda cena publica legislator et de collatione omnium constituisset. Deinde prorsus apte sequebantur verba πολλὰ δὲ καὶ κ. τ. λ., scilicet praeter ea quae praescripta sint etiam praedam venaticam a singulis saepius exhiberi; divites autem pro ea nonnunquam etiam panem triticeum apponere.[1])

VI 2.

ὅταν δέ τις εἰδῇ ὅτι οὗτοι πατέρες εἰσὶ τῶν παίδων ὧν αὐτὸς ἄρχει, ἀνάγκη οὕτως ἄρχειν ὥσπερ ἂν καὶ τῶν ἑαυτοῦ ἄρχεσθαι βούλοιτο.

Weiskius et Schneiderus consentiunt οὗτοι pronomen spectare ad superius πολῖται atque apodosin quam vocant incipere a verbis ὧν αὐτὸς ἄρχει, ut plena sit haec oratio: ὅταν δέ τις εἰδῇ ὅτι οὗτοι (scil. οἱ πολῖται) πατέρες εἰσὶ τῶν παίδων, ἀνάγκη (αὐτῷ ἐστιν) οὕτως ἄρχειν ἐκείνων ὧν αὐτὸς ἄρχει ὥσπερ ἂν κ. τ. λ. Sed verba ὅταν δέ τις εἰδῇ talem sequi rationem necesse est quae non communis sit sed Lacedaemoniorum propria et ad regendos eorum liberos peculiariter pertineat. At sequitur: ‘cives esse patres liberorum’; quasi vero in aliis civitatibus liberorum patres non item cives sint. Sane voluerunt illi interpretes verborum ‘cives esse patres liberorum’ eam esse sententiam ut omnes cives in omnes habere liberos patris auctoritatem dicantur; at, quantum nos videmus, re vera talis sententia in iis verbis non inest. Neque commode apodosis inde a verbis ὧν αὐτὸς ἄρχει incipere potest, cum et sententia et structura enuntiati postulent ut coniungamus τῶν παίδων ὧν αὐτὸς ἄρχει. Deinde autem οὗτοι pronomen recte referri ad vocem πολῖται aut habere omnino quo referatur plane negamus. Neque magis Haasio adstipulamur, qui

[1]) Haec esse vera notio verbi ἀντιπαραβάλλουσι videtur, quod Weiskius minus recte ‘pro . . exhibent’ interpretatur. Cf. Plat. Phaedr. 247 e παρέβαλεν ἀμβροσίαν τε καὶ ἐπ᾽ αὐτῇ νέκταρ ἐπότισε.

enuntiatum illud ita vertit: 'si quis hos (quos ἄρχειν videt) patres esse intellegat eorum quos ipse regit pueros, necesse est ita regat uti suos quoque regi velit.' Nam quod verba 'quos ἄρχειν videt' nescio unde subaudit, timeo ne sua scriptoris verbis temere immiscere videatur. Atque licet illa suppleri possint, tamen sententia obliqua exsistit, cum mutatis potius membris dicendum sit: si quis hos ἄρχειν intellegat quos patres esse videt eorum quos ipse regit pueros, necesse est sqq. Steinius [1]) autem difficultatem loci ita sibi tollere videtur ut vocem οἵτοι in ἄλλοι mutandam esse censeat, quam emendationem eo esse probabiliorem affirmat quod in codicibus praeter ὅτι οἵτοι legatur ὅτι τοι οἱ vel ὅτι ἔτι οἱ. Sed errore ille captus est; nam omnes quot novimus codices ὅτι οἵτοι exhibent atque ὅτι τοι οἱ, ὅτι ἔτι οἱ coniecturae tantum sunt Zeunii. [2]) Verum ut praetermittamus Steinii mutationem a litterarum similitudine non multum commendari, ne sententiam quidem satis aptam efficit. An propterea quod alii horum quos regit patres sunt necessario unusquisque leniter reget? Immo non tam quod alii erant patres, sed quod ii qui patres erant pari atque ipsi utebantur imperio, quod illi in suos sicuti ipsi in illorum pueros animadvertebant: eo demum ut remissius punirent commovebantur. Atque veram loci sententiam ne Morus quidem perspexit, quippe qui post ἄρχει vocem excidisse talia fere putaret: οἳ ἂν τῶν ἑαυτοῦ ἄρχειν δύναιντο. Sed plenam hanc potius orationem esse apparet: si quis sciat patres eorum quos ipse regat liberorum in ipsius habere liberos imperium, ita regat necesse est uti suos quoque regi velit. Hanc igitur ut nanciscamur sententiam, vocem οἵτοι corruptam esse statuimus ex οἱ αὐτοί atque post ἄρχει, ubi lacunam esse Morus bene cognovit, verba complura perisse, ut genuinum enuntiatum tale fere fuerit: ἐὰν δέ τις εἰδῇ ὅτι οἱ αὐτοὶ πατέρες εἰσὶ τῶν παίδων ὧν αὐτὸς ἄρχει <καὶ τῶν ἑαυτοῦ ἄρχουσιν>, ἀνάγκη κ.τ.λ.

VII 4—5.

οὐδὲ μὴν τοῦ γε εἰς τοὺς συσκήνους ἔχειν δαπανᾶν χρήματα ἀθροιστέον, ἐπεὶ τὸ τῷ σώματι πονοῦντα ὠφελεῖν τοὺς συνόντας

[1]) L. c. p. 27.

[2]) Cf. Haas. ed. p. 135 adn. crit.

εὐδοξότερον ἐποίησεν ἢ τὸ δαπανῶντα, ἐπιδείξας τὸ μὲν ψυχῆς, τὸ δὲ πλούτου ἔργον. τό γε μὴν ἐξ ἀδίκων χρηματίζεσθαι καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις διεκώλυσε.

Verba ἐν τοῖς τοιούτοις perperam ab interpretibus ad sequentia referuntur. Cui rationi primum obstat usus vocis τοιοῦτος, quae cum articulo ita tantum legi solet ut ad qualitatem notam vel antea indicatam pertineat. Cf. Krueg. gramm. § 50, 4 adn. 6. Deinde autem, si ad sequentia ea verba referres, ἐν praepositio prorsus abundans soloecismum efficeret; namque statuendum foret ἐν τοῖς τοιούτοις διεκώλυσε valere idem ac τοῖς τοιούτοις διεκώλυσε, id quod nullo tamen exemplo satis idoneo comprobatur. Confert quidem Haasius Matth. gramm. § 396, 2 adn. 2; sed loci quales leguntur Plat. Resp. VIII 567 c ἐν μακαρίᾳ ἄρα ἀνάγκῃ δέδεται (ὁ τύραννος), Soph. Ant. 696 αὐτάδελφον ἐν φοναῖς πεπτῶτα, ibid. 1229 ἐν τῷ ξυμφορᾶς διεφθάρης, alii quomodo explicandi sint elucere ex Plat. Menex. 240 d ἐν τούτῳ δὴ ἄν τις γενόμενος γνοίη ipse Matthiaeus docet. Neque multum ab iis discrepant exempla quae legimus Plat. Legg. X 887 d ἔτι ἐν γάλαξι τρεφόμενοι, Xen. Cyrop. III 3, 10 τοῖς ἐν ὅπλοις κοσμουμένοις; quae omnia ad locutionem ἐν τοῖς τοιούτοις διακωλύειν parum attinere vides. Neque magis huc pertinent loci quales habemus Cyrop. I 6, 2 ὅτι . . . οἱ θεοί σε . . . πέμπουσι καὶ ἐν ἱεροῖς δῆλον καὶ ἐν οὐρανίοις σημείοις aut Hipp. IX 9 προσημαίνουσιν (οἱ θεοὶ) ᾧ ἂν ἐθέλωσι καὶ ἐν ἱεροῖς καὶ ἐν οἰωνοῖς καὶ ἐν φήμαις καὶ ἐν ὀνείρασιν aut Resp. Lac. II 9 δηλῶσαι, δηλοῦται ἐν τούτῳ. Nam, ut exemplo utar, verba ἐν τούτῳ δηλοῦται significant 'hac in re apparet' i. e. dum haec res fit, simul apparet, ideoque verba ἐν τοῖς τοιούτοις διεκώλυσε, si recte interpretaris, valent 'in his rebus prohibuit', scil. simul cum aliis rebus quas instituerat iniustum quaestum Lycurgus prohibuisse diceretur. Verum quae sequuntur de nummorum magnitudine et de auro argentoque investigando haec non simul illum prohibens legislator instituit sed iis ipsis prohibiturus, neque ulla alia ratione ea hic commemorantur, nisi ut ad hoc ipsum consilium revocentur. Quare non ἐν τοῖς τοιούτοις (hisce in rebus), sed τοῖς τοιούτοις (hisce rebus) dicendum erat. Neque tamen dubium est quin ἐν praepositio genuina sit. Itaque ἐν τοῖς τοιούτοις verba nisi ad superiora referri nequeunt.

Ut autem quo ea respiciant cognoscamus, aliud reputandum est. Si enim huius capitis § 2 consideres verba *ἐν δὲ τῇ Σπάρτῃ ὁ Λυκοῦργος τοῖς μὲν ἐλευθέροις τῶν μὲν ἀμφὶ χρηματισμὸν ἀπεῖπε μηδενὸς ἅπτεσθαι, ὅσα δὲ ἐλευθερίαν ταῖς πόλεσι παρασκευάζει, ταῦτα ἔταξε μόνα ἔργα αὐτῶν νομίζειν*, offendes *μέν* ante *ἐλευθέροις* posito, cum neque in hoc ipso enuntiato neque infra ullum *δέ* aut aliud quicquam quod illi respondeat sequatur. Sunt sane qui hoc *μέν* deleverint, inter quos Dindorfius; sed temere, ut videtur, quoniam praeterea nihil habet offensionis.[1]) Atque servandum esse illud non minus videtur quam tota particula *τοῖς μὲν ἐλευθέροις*, quam eicere adhuc nemini placuit. Attamen abundare ea verba in propatulo est. Neque enim perspicimus quid hoc loco ingenui Lacedaemoniorum commemorentur, cum per totum hunc libellum de his solis agatur. Nemo profecto quae (exempli-causa) cap. V de cena communi, de corporum exercitationibus referuntur item in servos valere putabit. De solis igitur ingenuis Spartanis sermo est, etsi expresse non dicitur. Nam I 4 vocem *ἐλευθέραις* sic positam esse ut superiori *δούλας* responderet neminem fugit.[2]) At hoc loco quae verbis *τοῖς μὲν ἐλευθέροις* opponantur frustra quaeras. Constat autem haud paucos fuisse Lacedaemone qui sive hilotarum sive perioecorum condicione usi eas quas cives Spartani contemnerent artes illiberales factitarent. His per leges licuisse *χρηματίζεσθαι*, i. e. uti pecunia eamque parare, et consentaneum est et hoc ipso loco tacite indicatur.[3]) Illos igitur incolas Spartanorum imperio ac dominationi subditos qui laboribus ac quaestui vacarent *τοῖς ἐλευθέροις* a scriptore oppositos esse cum consentaneum sit, ante *τό γε μήν* verba enuntiatum aliquod perisse arbitramur. Ita enim verba *καὶ ἐν τοῖς τοιούτοις διεκώλυσε* quid sibi velint statim intellegitur. Nam locutio *ἐν τοῖς τοιούτοις*

[1]) Cf. III 1 *οἱ μὲν ἄλλοι παίουσι μὲν ἀπὸ παιδαγωγῶν, παίουσι δὲ ἀπὸ διδασκάλων . . . . . ὁ δὲ Λυκοῦργος κ. τ. λ.*

[2]) Legimus ibi: *ὁ δὲ Λυκοῦργος ἐσθῆτας μὲν καὶ δούλας παρέχειν ἱκανὰς ἡγήσατο εἶναι, ταῖς δ' ἐλευθέραις μέγιστον νομίσας κ. τ. λ.*

[3]) Cf. Ps. Plut. Inst. Lac. 239 e *οἱ δὲ εἵλωτες αὐτοῖς εἰργάζοντο τὴν γῆν ἀποφορὰν <ἀποφέροντες> τὴν ἄνωθεν ἐσταμένην. ἀπάρατον δ' ἦν πλείονός τινα μισθῶσαι, ἵνα ἐκεῖνοι μὲν κερδαίνοντες ἡδέως ὑπηρετῶσιν, οὗτοι δὲ μὴ πλέον ἐπιζητῶσιν.*

hoc loco idem sonat quod in Cyrop. V 4, 17 'in huiusmodi (talibus) rebus' atque respicit ad ea quae antea de quaestuosis illorum hominum Spartanis subiectorum studiis dicta erant. Itemque clara sunt verba *τό γε μὴν ἐξ ἀδίκων χρηματίζεσθαι*, quae alias nescio quid miri haberent. Sic enim esse dicta viderentur quasi *δικαίως χρηματίζεσθαι* Spartiatis licuisset. Verum paulo ante audivimus omnino, sive iuste sive iniuste, quaestui studere vetitos esse Spartanos, quibus Lycurgus *τῶν μὲν ἀμφὶ χρηματισμὸν ἀπεῖπε μηδενὸς ἅπτεσθαι*. At si eo quem dixi loco deesse sententiam quandam statuimus, verba *τό γε μὴν . . . . χρηματίζεσθαι* ad opifices vel mercennarios spectant antea commemoratos, quibus in studiis suis, ut res ferebant, pecunia uti eamque iuste parare licebat, iniuste non licebat.

VIII 2.

ἐν δὲ τῇ Σπάρτῃ οἱ κράτιστοι καὶ ὑπέρχονται μάλιστα τὰς ἀρχὰς καὶ τῷ ταπεινοὶ εἶναι μεγαλύνονται καὶ τῷ ὅταν καλῶνται τρέχοντες ἀλλὰ μὴ βαδίζοντες ὑπακούειν, νομίζοντες, ἢν αὐτοὶ κατάρχωσι τοῦ σφόδρα πείθεσθαι, ἕψεσθαι καὶ τοὺς ἄλλους· ὅπερ καὶ γεγένηται.

Haasius perfectum *γεγένηται* ita tueri studuit ut ea quae praecedunt non tam ad aequales scriptoris quam ad optimates Spartanos cuiusvis aetatis pertinere vellet. Sed licet verba *ἐν δὲ τῇ Σπάρτῃ κ. τ. λ.* generalem quae in omne tempus valeat sententiam contineant, imprimis tamen scriptor, uti fere per libellum [1]), suam aetatem designavit, ita ut perfectum illud explicari nequeat. Quod Naumannus temere est defendere conatus sic fere disputans. [2]) Significari ait hoc loco notissimum Agesilai ex Asia reditum (a. 394 a. Chr. n.); hunc enim, cum in Asia contra barbaros felicissime dimicasset, subito ab ephoris revocatum ilico obtemperasse et sic effecisse ut milites sponte sequerentur. Iam cum oboedientia Agesilai saepius celebretur, nihil restare dubii quin illud exemplum Xenophonti in conscribendo hoc loco obversatum sit. Ita si res se habeat, verba *ὅπερ καὶ γεγένηται*, quae aliter inanem repetitionem efficiant, nihil iam movere offensionis.

[1]) Vid. infra p. 54.

[2]) De Xenophontis libro sqq. p. 27 sqq.

Haec ille, quae Steinius praepropere assensu suo comprobavit. Omitto de ipsa Sparta urbe (*ἐν δὲ τῇ Σπάρτῃ* dicitur) hoc loco sermonem esse, illud quod confert Naumannus extra urbem esse factum (nam forsitan possit e verbis *ἐν δὲ τῇ Σπάρτῃ* notio Spartanorum in universum subaudiri); sed hoc certe concedes, de Spartanis scriptorem loqui ideoque verbis *τοὺς ἄλλους* necessario ceteros (i. e. praeter potentissimos) cives Spartanos designari. Num tamen eos qui in Hell. IV 2, 2 dicuntur Agesilaum ex Asia abeuntem sequi voluisse Spartanos vel etiam Lacedaemonios fuisse censes? Audiamus quae illic narrantur: *ὁ δὲ Ἀγησίλαος, ἐπεὶ ἤκουσε, χαλεπῶς μὲν ἤνεγκεν, ... ὅμως δὲ ξυγκαλέσας τοὺς ξυμμάχους ἐδήλωσε τὰ ὑπὸ τῆς πόλεως παραγγελλόμενα καὶ εἶπεν ὅτι ἀναγκαῖον εἴη βοηθεῖν τῇ πατρίδι· ἐὰν μέντοι ἐκεῖνα καλῶς γένηται, εὖ ἐπίστασθε, ἔφη, ὦ ἄνδρες ξύμμαχοι, ὅτι οὐ μὴ ἐπιλάθωμαι ὑμῶν, ἀλλὰ πάλιν παρέσομαι πράξων ὧν ὑμεῖς δεῖσθε. ἀκούσαντες δὲ ταῦτα πολλοὶ μὲν ἐδάκρυσαν, πάντες δ' ἐψηφίσαντο βοηθεῖν μετ' Ἀγησιλάου τῇ Λακεδαίμονι· εἰ δὲ καλῶς τἀκεῖ γένοιτο, λαβόντες αὐτὸν πάλιν ἥκειν ἐς τὴν Ἀσίαν.* [1]) Socios appellat Agesilaus eos quos convocavit, promittit se eorum non obliturum esse, sed reversum id quod a se petant exsecuturum; atque illi quidem constituunt cum Agesilao succurrere Lacedaemoni. Quid potest clarius dici? In propatulo est non Lacedaemonios, nedum Spartiatas illos fuisse sed socios ex Asiae urbibus collectos, quas Agesilao plerosque milites imprimisque equitatum praestitisse in Hell. III 4, 11 et 15 legimus. De ipsis autem Lacedaemoniis qui inter Agesilai erant milites nihil illo loco dicitur. Enimvero hos, quippe qui ut milites omnibus in rebns regi suo oboedirent, iussu ducis in Graeciam reverti paratos fuisse tam est consentaneum ut mirandum potius foret, si scriptor ea de re quicquam commemorasset. Atque omnino de militibus scriptorem hoc quem tractamus loco cogitavisse negamus, quoniam et Spartanorum et ceterarum civitatum milites disciplina obstricti non tam civitatis quam ducis imperia sequebantur. Sed ipsa scrip-

[1]) Ceterum plerosque huius promissi statim paenituit. Cf. ibid. § 3: *αὐτὸς δὲ (ὁ Ἀγησίλαος), ὁρῶν ὅτι οἱ πολλοὶ τῶν στρατιωτῶν μένειν ἐπεθύμουν μᾶλλον ἢ ἐφ' Ἕλληνας στρατεύεσθαι, βουλόμενος ὡς βελτίστους καὶ πλείστους ἄγειν μεθ' ἑαυτοῦ ἆθλα προὔθηκε ταῖς πόλεσιν ἥτις κ. τ. λ.*

toris verba aperte declarant de civium agi πειθαρχίᾳ quam magistratui in urbe praestiterint. Cadit igitur Naumanni sententia, quam minime esse probabilem facile etiam aliunde apparet. Nam sive alludi verbis ὅπερ καὶ γεγένηται sive non alludi statuis, quovis pacto vanum foret additamentum. Profecto scriptor, si tali modo verba sua confirmaret, ipse quodammodo fateretur ea quae alibi sine hac affirmatione proferret minus esse vera. Alludi autem iis verbis ad aliquod factum paulo esse veri similius videretur, si haberes ὅπερ καὶ <νεωστὶ> γεγένηται vel simile quid; sed etiam ita satis restaret difficultatis. Nam quae praecedunt verba cum generaliter sint dicta, nemo dubitat quin praeclara haec quae praedicatur civium oboedientia atque disciplina et perduraverit usque et etiamtum ab omnibus cottidie observata sit. Iam quid sibi velle dicamus additamentum 'quod etiam nuper factum est'? Mirum prorsus et absurdum videtur.

Quae cum ita sint, perfectum γεγένηται defendi non potest. Neque Schneiderus [1]) nobis persuasit, qui ut perfectum illud servaret ante ὅπερ omissum esse enuntiatum aliquod contendit; cui facilius crederemus, si qualis fere desiderari sententia videretur ille prodidisset. Neque vero assequimur quidni emendatio γίγνεται ei placuerit. Profert enim haec: 'cum de re praesenti sermo sit, quod testantur verba ὑπέρχονται, μεγαλύνονται, patet rectius fuisse γίγνεται; sed argumentum ipsum quo utitur scriptor demonstrat eum respexisse ad antiquos illos Spartanos Lycurgo aequales, quos etiam § 3 τοὺς αὐτούς nominat'. Immo contextus loci hic est. Primum scriptor diligentissime Spartanos legibus ac magistratui oboedire praedicat, id quod in ipsius aetatem non minus quam in praeterita valere tempora manifestum est. Deinde exponit qua ratione Lycurgus egregiam hanc disciplinam effecisse videatur. Hunc enim arbitratur leges atque instituta sua non prius induxisse quam proceres Spartanos in suas partes traxisset. Haec sane ad pristinos spectant Spartanos Lycurgo aequales. Tum vero causam addit scriptor cur Lycurgum illud fecisse existimet. Optimates enim, ait fere, quos in ceteris urbibus magistratui oboedire pudet, Spartae summo studio civitati obtemperant, rati, si

[1]) Assentiri Schneidero Dindorfius videtur.

ipsi diligentissime parere coeperint, secuturos esse etiam ceteros. Quae verba cur ad scriptoris tempora referri non possint nobis non liquet; immo scriptorem, cum comparationem instituat inter aliarum civitatum et Lacedaemoniorum optimates, non minus in describendo horum obsequio quam in denotanda illorum contumacia ad suam aetatem suosque aequales spectare necesse est. Quod autem infra (§ 3) verbis *τοὺς αὐτούς* ad Lycurgi redit aequales, nihil offendimur, cum e cohaerentia eius loci quomodo *τοὺς αὐτούς* intellegamus clare eluceat. Itaque restituendam esse praesentis formam *γίγνεται* valde probabile ducimus. Nam pertinent verba *ὅπερ καὶ γίγνεται* non, ut Naumannus opinatur,[1]) ad totum quod praecedit enuntiatum sed ad extremum eius membrum *ἕψεσθαι καὶ τοὺς ἄλλους*. Supplent igitur verba superiora ita ut quod exspectent optimates re vera fieri dicatur, scil. re vera ceteros sequi.

Reiciendam esse quam Naumannus hoc de loco protulit sententiam iam Ćwiklińskius[2]) vidit, qui verba *ὅπερ καὶ γεγένηται*, sive praesentis sive perfecti notio voci *γεγένηται* tribuatur, prorsus inania ideoque delenda esse censet. Argumentatur enim ita quasi necessario ea verba ad priorem enuntiati superioris partem (*οἱ κράτιστοι .... ὑπέρχονται .... μεγαλύνονται*) referenda sint. Sed idem deinde rectius illa verba ad extremam particulam *ἕψεσθαι καὶ τοὺς ἄλλους* respicere putat, ita ut parum sibi constitisse videatur.

VIII 3.

εἰκὸς δὲ καὶ τὴν τῆς ἐφορείας δύναμιν τοὺς αὐτοὺς τούτους συγκατασκευάσαι, ἐπείπερ ἔγνωσαν τὸ πείθεσθαι μέγιστον ἀγαθὸν εἶναι καὶ ἐν πόλει καὶ ἐν στρατιᾷ καὶ ἐν οἴκῳ. ὅσῳ γὰρ μείζω δύναμιν ἔχει ἡ ἀρχή, τοσούτῳ μᾶλλον ἡγήσατο αὐτὴν καὶ καταπλήξειν τοὺς πολίτας τοῦ ὑπακούειν.

Morus et Zeunius *συγκατασκευάσαι* verbum ita explicarunt ut valeret principum civitatis inter se consensum; quod si verum esset, ephororum institutionem Lycurgo posteriorem scriptor faceret.

[1]) Sunt enim haec eius verba: 'quid refert utrum quae praecedunt hoc enuntiato *ὅπερ καὶ γίγνεται* iterum proferantur necne? quid languida repetitione efficitur?'

[2]) Zeitschr. f. d. oesterr. Gymnasien. XXIX p. 497.

Ita sane cum Aristotele Polit. V (nunc VI) 1313 a 26 sq. et Plutarcho Lyc. 7 et 29 et aliis consentiret. Sed cum totus hic libellus in laudibus versetur Lycurgi, cui optima quaeque instituta Xenophon attribuit, minime est veri simile eum egregium ephororum institutum non Lycurgo sed aliis adiudicasse.[1]) Atque si spectas § 5 verba: *πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ὄντων μηχανημάτων καλῶν τῷ Λυκούργῳ εἰς τὸ πείθεσθαι τοῖς νόμοις ἐθέλειν τοὺς πολίτας*, luce est clarius verbum *συγκατασκευάσαι* ita ad optimates spectare ut consensum eorum cum Lycurgo significet, de quo supra legimus § 1: *ὁμογνώμονας ἐποιήσατο τοὺς κρατίστους τῶν ἐν τῇ πόλει.*

Ut vero iam ad alteram transeamus enuntiationem, haeremus in verbo *ἠγήσατο*, quod quo pertineat non intellegitur. Neque placet quod nonnulli, inter quos Weiskius et Schneiderus, Camerarii interpretationem secuti scribendum esse voluerunt *ἠγήσαντο*, ut ad principes spectet qui antea cum Lycurgo *συγκατασκευάσαι* dicuntur. Quae emendatio, licet lenis esse videatur, contextui huius loci minime convenit. Nam quoniam ad Lycurgum utique ephororum institutio a scriptore revocata est, quidni hoc aperte dicatur summopere miramur. Cur de optimatibus Spartanis, quid iudicaverint sermo est, non de Lycurgo? At alibi ubique cum legem aliquam vel institutum Lycurgi commemorat clare atque distincte hoc scriptor pronuntiat auctoremque collaudat. Quare suo iure recentiores interpretes codicum scripturam *ἠγήσατο* revocarunt, etsi ne hi quidem recte eam explicare poterant. Neque enim Haasio facile quisquam adstipulabitur. ‘Si quidem, ait ille, constat in illo *συγκατασκευάσαι* intellegendum esse: una cum Lycurgo optimates munus ephoricum instituisse: non admodum mirum est quod ad eum unum iam redit oratio.’ At neque mentio fit Lycurgi in iis quae praecedunt enuntiatis, ut oratio ad eum redire possit, neque hoc ipsum de quo agitur enuntiatum tale est ut ad verbum *ἠγήσατο* Lycurgi nomen satis commode subaudiatur. Incipit enim haec sententia particula *γάρ* ideoque

[1]) Ephoros a Lycurgo institutos esse, quae vulgaris fuisse opinio videtur, tradunt Herod. I 65 *πρός τε τούτοισι τοὺς ἐφόρους καὶ γέροντας ἔστησε Λυκοῦργος*, Plut. Ages. 5, alii.

ea quae antecedunt clarius illustret vel causam addat necesse est. Sed quid tandem id quod Lycurgus existimavit (ἡγήσατο) commune habet cum optimatium iudicio (ἔγνωσαν) vel etiam cum eorundem in condendo munere ephorico consensu (συγκατασκευάσαι)? Profecto si causa additur cur in instituendis ephoris proceres cum Lycurgo consenserint, non ad Lycurgum, qui non commemoratur, sed ad proceres necessario pertinet, cum de his solis, quid egerint, quid putaverint, agatur. Accedit quod non ad primam originem, sed ad magnam potestatem ephororum haec causa pertinet, ita ut a praegressa sententia omnino aliena sit. Sed satis iam elucet neque ἡγήσατο verbum nec totum hoc enuntiatum habere quo respiciat.

Itaque post οἶκοι vocem excidisse enuntiatum arbitramur quo institutum illud Lycurgo deberi luculenter diceretur. Atque talem fere requirimus sententiam: constituit enim Lycurgus ex praestantissimis civibus magistratum quinque ephororum, qui annua quidem sed summa auctoritate atque potestate uterentur. Haec aut similia si illo loco inseruntur, omnia plane procedunt. Nam iis quae sequuntur exponitur cur Lycurgus tantae potestatis magistratum condidisse videatur et quae ephororum munera sint.

De capite VIII.

Steinius [1]) cap. XIV in fine libelli ponendum esse Haasio assensus ante hoc caput et post illud quod nunc cap. XV fertur cap. VIII olim collocatum fuisse contendit. Atque cap. XIV quidem, si genuinum sit, sine dubio post cap. XV collocandum esse nemo non videt. Sed quem capiti VIII Steinius ordinem tribuit minime aptus videtur esse, quanquam eo quo nunc legatur loco hoc caput dispositioni libelli parum respondere cum illo consentio. Loquitur enim scriptor capp. I—IV de eruditione ac disciplina puellarum, puerorum, adulescentium, cap. V de conviviis atque exercitationibus publicis, cap. VI de communi omnium rerum usu, cap. VII de studiis Spartanorum vetitisque divitiis. Deinde cap. VIII sequitur, quo in universum de civium oboedientia et de institutis ephoris agitur; incipit hoc cap. verbis ἀλλὰ γάρ (sed enim), quae ad superioris capitis verba extrema τί οὖν ἂν ἐκεῖ

[1]) L. c. p. 22 sq.

χρηματισμὸς σπουδάζοιτο ἔνθα ἡ κτῆσις πλείους λύπας ἢ ἡ χρῆσις εὐφροσύνας παρέχει minime quadrant; peroratio autem huius capitis (πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ὄντων μηχανημάτων καλῶν τῷ Λυκούργῳ κ. τ. λ.) talis est ut maiorem quandam opusculi partem finitam esse facile cognoscatur. Attamen capite IX scriptor institutum argumentum eadem qua ante cap. VIII ratione persequitur, cum ignavorum civium poenam atque ignominiam describat. Sequitur cap. X, quo de bonorum civium praemio (scil. dignitate senatoria) et de communi virtutum omnium studio disseritur; extremo deinde huius capitis enuntiato (ἀλλὰ γὰρ ὅτι μὲν παλαίτατοι οὗτοι οἱ νόμοι εἰσὶ σαφές· ὁ γὰρ Λυκοῦργος κ. τ. λ.) priori libelli parti finis imponitur. In promptu est cap. VIII propter argumentum, exordium, perorationem totius materiae continuationem interrumpere. Videamus igitur de eo quem Steinius proposuit ordine.

Est autem, si vel obiter hunc libellum legas, perspicuum ex duabus eum constare partibus, quarum alteram maiorem complecti capp. I – X, alteram minorem capp. XI—XV.[1]) Quod cum intellegeret Erlerus, duas has partes continuas esse negavit,[2]) cui nemo sane assentietur. Attamen hoc constat, ea quae inde a cap. XI de re militari, castrensi, officiis regum proferantur a priore parte, ubi disciplina, leges, domestica Lycurgi instituta narrentur, summopere differre. Vel inde colliges quam non sit probabile ex altera parte quaedam exsecata in alteram transponere. Atque inter argumenta capp. VIII et XV quanta intercedat discrepantia facile est ad intellegendum. Capitis XV enim id esse argumentum appareat quod nisi in fine libelli tractari non potuerit. Nam quae domi sunt regum officia, auctoritas, honores ad propriam huius commentarii materiam minus attinent,[3]) ut genuinum hoc esset caput necne multi dubitaverint. Quare qui vindicandum

---

[1]) Hoc ipso capitis XI initio apparet: καὶ ταῦτα μὲν δὴ κοινὰ ἀγαθὰ καὶ ἐν εἰρήνῃ καὶ ἐν πολέμῳ· εἰ δέ τις βούλεται καταμαθεῖν ὅ τι καὶ εἰς τὰς στρατείας βέλτιον τῶν ἄλλων ἐμηχανήσατο, ἔξεστι καὶ τούτων ἀκοῦσαι.

[2]) Quaestiones de Xenophonteo libro de re publica Lacedaemoniorum. Diss. Lips. 1874 p. 4 sqq.

[3]) Cf. infra p. 43.

esse Xenophonti hoc caput censebit sine dubio post reliqua[1]) id esse conscriptum statuet, ita quidem ut quae ad finem eius capitis perierint totius libelli perorationem effecisse videantur.[2]) Contra capitis VIII argumentum versari vides in civium erga leges oboedientia atque in ephororum origine et munere, qui disciplinam domesticam tueantur. Quid haec sibi in ea velint parte ubi de re militari ac de duce militum eiusque officiis exponitur nemo intellegit. Miratur Steinius munus ephoricum non legi cum regio coniunctum. Quod temere facit, quoniam omnino differebant. Atque suo scriptor iure de ephororum munere in priore opusculi parte disseruit, cum leges deberent atque disciplinam servare domesticam, de regum in posteriore, cum domi nihil fere valerent,[3]) in bello autem duces essent militum summaque fruerentur auctoritate. At Stobaeum[4]) ait Steinius eundem ubique atque Xenophontem sequi et capp. et §§ numerum, ea autem quae ex cap. VIII afferat post cetera posuisse, unde elucere cap. VIII illum in fine libelli collocatum invenisse. Quod argumentum quanti aestimandum sit e comparatione vel paucorum quos affert Stobaeus locorum facile cognoscitur. Legimus enim in eiusdem

Florilegio	I 99	Xenoph.	Memorab.	II	6, 39
„	100	„	„	I	6, 13
„	VII 73	„	„	IV	6, 10
„	74	„	„	III	9, 1
„	XXIX 94	„	„	I	2, 57
„	95	„	„	I	2, 19
„	LIV 34	Thucydidis		IV	92, 5
„	35	„		V	9, 9
„	36	„		V	103, 1
„	37	„		V	102
„	38	„		V	9, 8,

quae exempla multis augeri possunt. Sed nemini quin erraverit Steinius iam dubii quicquam restabit.

---

[1]) Excepto videlicet capite XIV, de quo vid. infra.

[2]) Vid. p. 39 sq.

[3]) Hoc ipse scriptor fatetur XV 8: *αὗται μὲν οὖν αἱ τιμαὶ οἴκοι ζῶντι βασιλεῖ δέδονται, οὐδὲν τι πολὺ ὑπερφέρουσαι τῶν ἰδιωτικῶν.*

[4]) Florileg. XLIV 24–40.

Quodsi quo loco hoc caput olim positum fuerit quaeras, materiam continere talem videtur quae prioris opusculi partis egregia sit peroratio. Neque vero minus cap. X § 8 (*ἀλλὰ γὰρ ὅτι μέν κ. τ. λ.*) eam exhibere sententiam apparet quae eidem parti necessario finem imponere videatur. Itaque veri esse simillimum arbitramur initio cap. VIII inter § 7 et § 8 capitis X insertum fuisse. Certe enim prima capitis VIII verba (*ἀλλὰ γὰρ ὅτι μὲν ἐν Σπάρτῃ μάλιστα πείθονται ταῖς ἀρχαῖς τε καὶ τοῖς νόμοις ἴσμεν ἅπαντες*), quae quo nunc leguntur loco propter *ἀλλὰ γάρ* particulas offendunt, cum extremo cap X § 7 enuntiato (*εἰ δέ τις ἀποδειλιάσειε τοῦ τὰ νόμιμα διαπονεῖσθαι, τοῦτον ἐκεῖ ἀπέδειξε μηδὲ νομίζεσθαι ἔτι τῶν ὁμοίων εἶναι*) optime cohaerent. Nam postquam de iis dictum est qui legitima officia non exercent, cum affirmatione opponitur Spartae omnium maxime legibus obtemperari. Sane quidem *ἀλλὰ γάρ* quo orditur cap. X § 8 ad extrema cap. VIII verba *ἀνόσιον θεὶς τὸ πιθοχρήστοις νόμοις μὴ πείθεσθαι* minus aptum est; sed fortasse *ἀλλὰ γὰρ ὅτι μέν* verba illi § praeposita ex pari initio capitis VIII, cum hoc suo loco cederet, remanserunt et genuinum illius partis exordium expulerunt, quae sic fere videtur incepisse: *καὶ μὴν ὅτι παλαίτατοι κ. τ. λ.*

Falso autem cap. VIII legi loco eodem fere quo Steinius tempore Ćwiklińskius [1]) intellexit, qui certum ei ordinem non tribuit. Steinio assensus Schenkelius [2]) principalem capp. ordinem hunc fuisse existimat X, XV, VIII, XI sqq., quem omnino esse improbabilem ex iis quae disputavimus satis elucet.

IX 1.

ἄξιον δὲ τοῦ Λυκούργου καὶ τόδε ἀγασθῆναι, τὸ κατεργάσασθαι ἐν τῇ πόλει αἱρετώτερον εἶναι τὸν καλὸν θάνατον ἀντὶ τοῦ αἰσχροῦ βίου· καὶ γὰρ δὴ ἐπισκοπῶν τις ἂν εὕροι μείους ἀποθνήσκοντας τούτων ἢ τῶν ἐκ τοῦ φοβεροῦ ἀποχωρεῖν αἱρουμένων.

Pronomen *τούτων*, quod neminem adhuc interpretum offendit, quo respiciat non intellegitur. Est enim, quantum cohaerentia docet, oppositum verbis *τῶν ἐκ τοῦ φοβεροῦ ἀποχωρεῖν αἱρου-*

[1]) L. c. p. 495 sq.

[2]) Bursian Jahresber. XVII p. 26 sq.

μένων, ut significare videatur eos qui in pugna non terga vertunt sed mortem vel periculum potius mortis fortiter subeunt. Haec tamen vel similis notio neque legitur in ea quae praecedit enuntiatione neque subaudiri ex ea potest. Superioris enim enuntiati sententia ea est ut Spartae pulchra mors turpi vita optabilior esse (αἱρετώτερος εἶναι) dicatur; at re vera Spartanos decoram mortem vitae ignominiosae praeferre (προαιρεῖσθαι) infra demum § 6 audimus: ἐγὼ μὲν δὴ τοιαύτης τοῖς κακοῖς ἀτιμίας ἐπικειμένης οὐδὲν θαυμάζω τὸ προαιρεῖσθαι ἐκεῖ θάνατον ἀντὶ τοῦ οὕτως ἀτίμου τε καὶ ἐπονειδίστου βίου. Vides quam postulet τούτων vox notionem ex ea quae antecedit sententia suppleri non posse. Neque magis ita pronomen τούτων explicare licet ut ad verba ἐν τῇ πόλει, unde cives Spartani audiantur, illud referatur. Nam si τούτων Spartanos in universum significaret, hi omnes ignavis qui fugere malunt (τοῖς ἀποχωρεῖν αἱρουμένοις) opponerentur, ita ut ad unum omnes Spartani forti esse animo atque mortem fugae anteponere viderentur. At hoc scriptorem voluisse non est credibile, cum paulo post diserte de poenis exponat quibus ignavi Spartae afficiantur (cf. imprimis § 5: πολλάκις δ' ὁ τοιοῦτος [scil. ὁ κακὸς] καὶ διαιρουμένων τοὺς ἀντισφαιριοῦντας ἀχώριστος περιγίγνεται, καὶ ἐν χοροῖς δ' εἰς τὰς ἐπονειδίστους χώρας ἀπελαύνεται κ. τ. λ.), unde perspicitur et ignavos fuisse inter Spartanos neque scriptorem hoc negavisse.

Quoniam igitur τούτων pronomen non habet quo referatur, satis esse causae videtur cur locum vitio laborare censeamus. Quem nobis haud ita violenta ratione restituere videmur, cum ante τούτων excidisse articulum τῶν et ipsum τούτων in τοῦτον mutandum esse statuimus. [1]) Nam ita τοῦτον, quod pariter atque infinitivus ἀποχωρεῖν e verbo αἱρουμένων pendet, spectat ad superius τὸν καλὸν θάνατον, quo fit ut totius loci haec sit sententia: admiratione digna haec quoque Lycurgi est ratio qua effecit ut in civitate praeclara mors vita turpi optabilior esset; etenim si quis rem consideraverit, inveniet pauciores cadere eorum qui hanc

[1]) Omnino hunc locum male esse traditum videmus, cum quae ante verba τῶν ἐκ τοῦ legitur particula ἤ in membranis desit; ἤ addendum esse primus Heindorfius vidit, quem omnes editores secuti sunt.

(scil. praeclaram mortem) quam eorum qui timore occupati fugam praeferant.

X 1—3.

καλῶς δέ μοι δοκεῖ ὁ Λυκοῦργος νομοθετῆσαι καὶ ἧ μέχρι γήρως ἀσκοῖτ' ἂν ἀρετή. ἐπὶ γὰρ τῷ τέρματι τοῦ βίου τὴν κρίσιν τῆς γεροντίας προθεὶς ἐποίησε μηδ' ἐν τῷ γήρᾳ ἀμελεῖσθαι τὴν καλοκἀγαθίαν. 2. ἀξιάγαστον δ' αὐτοῦ καὶ τὸ ἐπικουρῆσαι τῷ τῶν ἀγαθῶν γήρᾳ· θεὶς γὰρ τοὺς γέροντας κυρίους τοῦ περὶ τῆς ψυχῆς ἀγῶνος διέπραξεν ἐντιμότερον εἶναι τὸ γῆρας τῆς τῶν ἀκμαζόντων ῥώμης. 3. εἰκότως δέ τοι καὶ σπουδάζεται οὗτος ὁ ἀγὼν μάλιστ' ἀνθρώπων. καλοὶ μὲν γὰρ καὶ οἱ γυμνικοί· ἀλλ' οὗτοι μὲν σωμάτων εἰσίν· ὁ δὲ περὶ τῆς γεροντίας ἀγὼν ψυχῶν ἀγαθῶν κρίσιν παρέχει. ὅσῳ οὖν κρείττων ψυχὴ σώματος, τοσούτῳ καὶ οἱ ἀγῶνες οἱ τῶν ψυχῶν ἢ οἱ τῶν σωμάτων ἀξιοσπουδαστότεροι.

Egregie, ait fere scriptor, hoc quoque Lycurgus praecepisse mihi videtur, qua ratione usque ad senectutem virtus coleretur. Lege enim lata ut ex iis qui provecti essent aetate senatores crearentur, effecit ut ne senes quidem virtutem neglegerent. 2. Eiusdem admiranda est ratio qua bonorum civium senectutem sustentavit; causarum enim capitalium iudicio senatoribus tributo effecit ut senectus florente aetate magis esset honorata. 3. Neque vero immerito in hoc certamine summum ponitur studium; nam pulchra quidem ea quoque sunt certamina quae ad palaestram pertinent; sed haec quidem corporum sunt; contra illud de assequenda dignitate senatoria certamen iudicium bonorum praebet animorum. Quanto igitur animus corpore est praestantior, tanto animorum certamina quam corporum studio sunt digniora.

Iam Weiskius viderat verba *οὗτος ὁ ἀγών* (§ 3) nimis esse ambigua, si verba superiora *τοῦ περὶ τῆς ψυχῆς ἀγῶνος* (§ 2) de vitae discrimine acciperentur. Quare ille quidem, ut hanc difficultatem effugeret, verba *τοῦ περὶ τῆς ψυχῆς ἀγῶνος* falso ita interpretatus est ut censuram aliquam animi ac virtutis indicarent. Quam rationem recte Schneiderus reiecit. Nam demonstrandum foret *ἀγῶνα περὶ τῆς ψυχῆς* posse omnino sonare 'certamen de virtute animi', ut infra § 3 *ὁ περὶ τῆς γεροντίας ἀγών* 'certamen de senatoria dignitate' valet. Praeterea, ut ipsis Schneideri

verbis utar, ‘etsi recte diceretur ὁ ἀγὼν περὶ τῆς ψυχῆς de virtute animi, esset tamen certamen de consequenda animi virtute, minime vero de virtutis candidatorum inter se comparatorum victoria. Eiusmodi certamen graece est ἀγὼν τῶν ψυχῶν, uti σωμάτων sunt ἀγῶνες qui vulgo γυμνικοί vocabantur. Contra ὁ περὶ τῆς ψυχῆς ἀγών graece est periculum vitae, certamen vel iudicium vitae et necis, quod senatoribus permissum erat’. Haec ille, qui offensionem tamen qua seductus est Weiskius non removit. Nam in aperto est huius loci verborum eum esse ordinem ut illud οὗτος ὁ ἀγών (§ 3) necessario ad verba τοῦ περὶ τῆς ψυχῆς ἀγῶνος (§ 2) pertinere videatur. Quoniam autem ille ἀγών (§ 3) certamen est de dignitate senatoria, hic (§ 2) causa capitalis vel vitae discrimen, altera vox referri ad alteram nequit. Iam verba οὗτος ὁ ἀγών, ne οὗτος omni vi careret, referenda essent ad τὴν κρίσιν τῆς γεροντίας (§ 1); verum tamen, quantum nos scimus, nullus scriptor, quamvis festinaret, talem sermonis obscuritatem admisit. Accedit aliud cur structuram huius loci non integram esse existimemus. Ea enim quibus § 2 incipit verba: ἀξιάγαστον δ’ αὐτοῦ καί ita videntur dici quasi novum quoddam sequatur ab iis quae antecedunt diversum. Nihilo setius in eadem pergitur sententia, si quidem et hic et supra de virtute, honoribus, auctoritate senum disseritur. Et contra Weiskium, qui hoc suo iure monuerat, frustra Schneiderus traditum verborum ordinem defendere studuit hisce: ‘loquitur quidem de iisdem senibus; sed antea de continuato eorum virtutis studio usque ad mortem dixerat; nunc infit de honore eidem virtutis studio continuato addito subiungere.’ Nam non de studio tantummodo virtutis antea agitur sed etiam de praemio quod huic studio legislator proposuerit (τὴν κρίσιν τῆς γεροντίας προθείς). Atque Lycurgus probis et strenuis senibus pariter videtur subvenisse (ἐπικουρῆσαι) quod ex his solis senatores creari iussit. Profecto quod deinde § 2 vitae ac necis iudicium senatoribus ille tribuisse dicitur, superiori sententiae nihil tam novi additur ut verba ἀξιάγαστον δ’ αὐτοῦ καί ferri possint. Manifestum est alterum enuntiatum (§ 2), licet sententia ipsa a contextu loci non aliena sit, eam tamen habere formam ut cum superiore enuntiato parum congruat. Itaque Haasius § 2 post § 3 collocavit, id quod placeret,

si omnis offensio ita tolleretur. Sed cum iam § 1 commemoretur quale Lycurgus probis senibus virtutis praemium proposuerit, verba *ἀξιάγαστον δ' αὐτοῦ καὶ τὸ ἐπικουρῆσαι κ. τ. λ.* etiam post § 3 posita satis habent molesti. Deinde apparet ea quae § 2 proferuntur manifesto ad senatores eorumque munus spectare. Iam cum § 3 ita sit conformata ut scriptor de munere senatorio perorare videatur,[1]) veri simile non est etiam post hanc § ea de dignitate quicquam additum fuisse. Insuper § 3 apte quidem cum § 1 non coniungitur, nisi vero verba *οὗτος ὁ ἀγών* (§ 3) commode ad *τὴν κρίσιν τῆς γερουσίας* (§ 1) referri putaveris. Sed illud *οὗτος ὁ ἀγών* postulare videtur ut antecedant nonnulla unde re vera inter senes certamen exstitisse de assequenda illa dignitate eluceat.

Equidem cum certi quicquam hoc de loco statuere non ausim, suspicari satis habeo § 2 qua nunc sit forma ab ipso scriptore non esse profectam. Neque recte iudicat Naumannus,[2]) qui genuinam esse hanc partem ex simili §§ 1 et 2 structura concludit. Nam si quidem § 2, ut ostendisse nobis videmur, ad cohaerentiam loci minus quadrat, ex similitudine §§ 1 et 2 hoc potius colligemus, alterius enuntiati formam non nativam sed posteriori cuidam vel librario vel grammatico tribuendam esse, qui superioris enuntiati formam ac structuram sive consulto sive casu expresserit.[3])

X 4.

τόδε γε μὴν τοῦ Λυκούργου πῶς οὐ μεγάλως ἄξιον ἀγασθῆναι, ὃς ἐπειδὴ κατέμαθεν ὅτι ὅπου οἱ βουλόμενοι ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἀρετῆς οὐχ ἱκανοί εἰσι τὰς πατρίδας αὔξειν, ἐκεῖνος ἐν τῇ Σπάρτῃ ἠνάγκασε δημοσίᾳ πάντας πάσας ἀσκεῖν τὰς ἀρετάς;

G. A. Sauppius[4]) plenam esse hanc sententiam ratus e verbo *ἐπιμελεῖσθαι* post *ἀρετῆς* mente supplendum esse putavit *ἐπιμελοῦνται*; exempla vero quibus insuetam hanc rationem stabiliret non attulit. Atque ceteros interpretes non integrum esse hunc

---

[1]) Verba *εἰκότως δέ τοι κ. τ. λ.* ea quae antea de munere senatorio dicta sunt comprehendunt.

[2]) L. c. p. 16.

[3]) Vid. infra p. 48.

[4]) Xenophontis quae exstant rec. Schneider. vol. VI ed. II. Torg. 1833.

locum consentire videmus. Perversa autem sententia Leonclavius coniecerat ὅτι οἱ μὴ βουλόμενοι, quod Schneiderus ne inter scriptoris verba reciperet cavere debebat. Nam eos qui virtuti studere nolint ad augendam patriam nihil valere facilius est intellectu quam quod cognovisse hoc loco, ubi de admirabili Lycurgi sapientia agitur, tanquam magnum quoddam praedicari possit. Sed veram loci cohaerentiam primus perspexit Weiskius, quem Schneiderus temere reprehendit. Sane quidem quod Weiskius ipse proponit: ὅτι ὁπουοῦν non magis placet quam id quod Cobetus [1]): ὅτι <ἔστιν> ὅπου οἱ βουλόμενοι, cum utraque ratio nimis languidam praebeat sententiam et ad restituendum locum non sufficere videatur. Nam, ut ipse Weiskius sensit, oppositionis rationi maxime consentaneum est verbo βουλόμενοι addi μόνοι vocem vel similem, ut contrariae sententiae ἠνάγκασε δημοσίᾳ πάντας κ. τ. λ. plene respondeatur. Quod qui neglexit Haasius ad sanandum hunc locum emendationes protulit parum probabiles. Nam quod ὅπου aut in ὅλως mutandum aut plane delendum esse censet, ὅλως hoc loco idoneam vim non habet atque ὅπου unde in scriptoris verba irrepserit non liquet. Facillimum autem ducit ille pro ἐπιμελεῖσθαι ponere ἐπιμελοῦνται atque in indice editionis τοὺς βουλομένους esse eos quibus non desit voluntas *in* laudabili studio contendit; quam notionem sollemnem esse concludit ex his locis: Ages. X 2 παράδειγμα τοῖς ἀνδραγαθίαν ἀσκεῖν βουλομένοις, Demosth. III 31 οἱ δὲ (τῶν νόμων) . . . . . τοὺς τὰ δέοντα ποιεῖν βουλομένους ἀθυμοτέρους ποιοῦσιν. Sed ad hunc locum, quo οἱ βουλόμενοι absolute dictum foret, nihil attinent ea exempla ubi participium illud cum infinitivo coniunctum est. Verum licet οἱ βουλόμενοι absolute positum ferri possit, tamen Haasii non probatur emendatio, cum scriptor, ut talia proferret, multo simplicius dicere potuerit ὅτι οἱ βουλόμενοι ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἀρετῆς οὐχ ἱκανοί εἰσι κ. τ. λ. Multo magis Dindorfii arridet sententia, qui de ampliore huius loci lacuna cogitavit. Sed etsi post ὅπου quaedam perisse non tam improbabile esse duxeris, faciliore tamen ratione offensionem loci tolli putamus, si vitium in ipsa voce ὅπου quaeratur. Huius enim primae litterae

[1]) L. c. p. 733. Post ὅτι excidisse ἐστιν ante Cobetum iam Morus coniecerat.

ὅπτ per dittographiam quam vocant ortae videntur, cum librarius vocabulum antecedens ὅτι errore bis poneret; extremae autem litterae *ου* reliquiae esse pronominis *αὐτοί* videntur, cuius litterae *οι* ante sequentem articulum *οἱ* exciderunt, et ex ὅτιαυτ, quippe quod nemo intellegeret, factum est ὅπου. Scribendum igitur esse censemus: ὃς ἐπειδὴ κατέμαθεν ὅτι *αὐτοὶ οἱ βουλόμενοι ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἀρετῆς* οὐχ *ἱκανοί εἰσι τὰς πατρίδας αὔξειν, ἐκεῖνος* [1]) *κ. τ. λ.* Pronomen *αὐτοί* hic ut saepius valet idem quod soli atque haec fere dicere vult scriptor: Lycurgus cum vidisset solos eos qui virtutem colere vellent non sufficere ad augendam patriam, Spartae omnes publice omnes exercere virtutes coegit.

XI 3.

εἴς γε μὴν τὸν ἐν τοῖς ὅπλοις ἀγῶνα τοιάδ' ἐμηχανήσατο, στολὴν μὲν ἔχειν φοινικίδα καὶ χαλκῆν ἀσπίδα, ταύτην νομίζων ἥκιστα μὲν γυναικείᾳ κοινωνεῖν, πολεμικωτάτην δ' εἶναι· καὶ γὰρ τάχιστα λαμπρύνεται καὶ σχολαίτατα ῥυπαίνεται.

Verba *καὶ χαλκῆν ἀσπίδα*, quicquid G. A. Sauppius disputavit, eo quo leguntur loco ferri nequeunt. Nam luce est clarius ea quae sequuntur verba *ταύτην νομίζων . . . εἶναι* ad solam *φοινικίδα* respicere, nisi vero etiam mulieres Spartanas clipeis usas esse opineris. Recentiores autem interpretes Haasium secuti illud *καὶ χαλκῆν ἀσπίδα* tanquam librarii alicuius additamentum expungere voluerunt. Sed si ea verba omnino delerentur, omnia quae usque ad *ῥυπαίνεται* sequuntur de veste purpurea dicerentur, ita quidem ut enuntiatum *καὶ γὰρ τάχιστα κ. τ. λ.* verborum *πολεμικωτάτην δ' εἶναι* causam afferret. Tamen hoc non probatur, si quidem illius enuntiati haec est sententia: 'etenim celerrime nitescit et tardissime sordida fit.' Namque hanc potissimam fuisse causam cur *πολεμικωτάτην* esse Lycurgus vestem purpuream iudicaret prorsus credi nequit. Cf. Ps. Plut. Inst. Lac. 238 f *ἐν τοῖς πολέμοις φοινικίσιν ἐχρῶντο. ἅμα μὲν γὰρ ἡ χρόα ἐδόκει αὐτοῖς ἀνδρικὴ εἶναι, ἅμα δὲ τὸ αἱματῶδες τοῦ χρώματος πλείονα τοῖς ἀπείροις φόβον παρέχειν· καὶ τὸ μὴ εὐπερίφωρον δὲ τοῖς*

[1]) Anacoluthum quod pronomen *ἐκεῖνος* efficit (ὃς *ἐπειδὴ . . . ἐκεῖνος*) defenditur loco simili IV 7: *τοῖς γε μὴν τὴν ἡβητικὴν ἡλικίαν πεπερακόσιν . . . ὁ δὲ Λυκοῦργος τοῖς τηλικούτοις νόμιμον ἐποίησε κ. τ. λ.*

πολεμίοις εἶναι, ἐάν τις αὐτῶν πληγῇ, ἀλλὰ διαλανθάνειν διὰ τὸ ὁμόχρουν χρήσιμον et schol. ad Aristoph. Acharn. 320 Ἀριστοτέλης δέ φησιν ἐν τῇ Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ χρῆσθαι Λακεδαιμονίους φοινικίδι πρὸς τοὺς πολέμους, τοῦτο μὲν ὅτι τὸ τῆς χρόας ἀνδρικόν, τοῦτο δὲ ὅτι τὸ τοῦ χρώματος αἱματῶδες τῆς τοῦ αἵματος ῥύσεως ἐθίζει καταφρονεῖν. Frustra igitur enuntiatum καὶ γὰρ . . . ῥυπαίνεται cum iis quae antecedunt coniungitur, quoniam quae eo profertur causa ad πολεμικωτάτην vocem nihil attinet. An verba ἥκιστα μὲν γυναικείᾳ κοινωνεῖν illa sententia explicari putemus? Sed id absurdum est.

Itaque verba καὶ γὰρ . . . ῥυπαίνεται, uti locutio τάχιστα λαμπρύνεται clare ostendit, de veste purpurea vel omnino de veste intellegi non possunt. Putat quidem Haasius verbum λαμπρύνειν, quod ‘polire, nitidum facere’ sonat, posse etiam de restituendo purpurae colore usurpari, cuius ea sit natura ut sordes facile abstergeri possint. Sed, ut taceam nulla huius notionis inveniri exempla, si hanc scriptor illi verbo tribuere significationem voluisset, aut addidisset aliquid aut mutasset certe verborum ordinem, ut haberemus: καὶ γὰρ σχολαίτατα ῥυπαίνεται καὶ τάχιστα λαμπρύνεται. Nam inde ab initio vestis purpurea eum colorem iam habet et omni reficiendi opera carere potest. Verum locutio τάχιστα λαμπρύνεσθαι in eam tantum valet rem quae ut ipsa nitore vel fulgore instructa non est ita poliendo facile eo ut nitescat adducitur, velut aes, arma aenea imprimisque scutum aeneum. Cf. XIII 8 καὶ ὅπλα δὲ λαμπρύνεσθαι προαγορεύεται, Hell. VII 5, 20 πάντες δ' ἠκονῶντο καὶ λόγχας καὶ μαχαίρας καὶ ἐλαμπρύνοντο τὰς ἀσπίδας. Iam facile colliges idem verbum hoc de quo agitur loco spectare ad scutum quod commemoratur aeneum ideoque verba καὶ χαλκῆν ἀσπίδα non delenda sed transponenda esse post εἶναι. Ita enim enuntiatum καὶ γὰρ . . . ῥυπαίνεται, quod aliter explicationem non habet, aptissime de scuti aenei fulgore dicitur. Polire autem clipeos imprimis videtur Lacedaemoniorum fuisse moris. Cf. Anab. I 2, 16 εἶχον δὲ πάντες κράνη χαλκᾶ καὶ χιτῶνας φοινικοῦς καὶ κνημῖδας καὶ τὰς ἀσπίδας ἐκκεκαθαρμένας. Hoc fortasse in causa fuit cur sola scuta scriptor hoc loco commemoraret, cetera quae Spartanorum propria essent arma praetermitteret. Atque idem sequenti enuntiato tale narrat

Lycurgi praeceptum quod ad externam militum speciem augendam ac terribiliorem reddendam aliquid valere videatur. Omnino autem Xenophontis animum delectatum esse specioso hominum ac rerum aspectu multa docent exempla, quorum nullum ad hunc locum magis quadrare videtur quam quod legimus in Cyrop. VI 4, 1 *ἤστραπτε μὲν χαλκῷ, ἤνθει δὲ φοινικίσι πᾶσα ἡ στρατιά.*

XI 10.

ἢν γε μὴν κατὰ τὰ εὐώνυμα πολέμιοι προσίωσιν, οὐδὲ τοῦτο ἐῶσιν, ἀλλ᾽ ἀπωθοῦσιν ἢ ἐναντίους ἀντιπάλους τοὺς λόχους στρέφουσι· καὶ οὕτως αὖ ὁ κατ᾽ οὐρὰν λόχος παρ᾽ ἀσπίδα καθίσταται.

Hunc locum, quem ceteri explicare omiserunt et Schneiderus intellegere se negavit, uberius tractavit Haasius, cui num adstipulari liceat videamus. Est autem sermo de acie et conversionibus exercitus Spartani atque superioribus narratur quid milites agant, cum longo ordine proficiscentes a fronte vel tergo vel dextra ab hostibus urgeantur. Neque dubium est quin, cum antea de longo agminis hostilis ordine a dextra adventante dicatur, ad hoc quoque enuntiatum pertineat *ἐπὶ κέρως πορευομένων*. Ostenditur enim quomodo milites longo agmine iter facientes manus conserant cum hostibus qui eodem agmine a sinistra aggrediantur. Iam haesit Schneiderus in verbis *οὐδὲ τοῦτο ἐῶσιν, ἀλλ᾽ ἀπωθοῦσιν*, quae ne Haasio quidem satis placuerunt. Nihilo minus hic integrum esse locum arbitratus haec fere profert. Non incredibile esse ait quod scribat Xenophon, servato etiam longi agminis incessu studuisse Lacedaemonios efficere ut hostes instantes aut plane abire aut ab alia parte accedere cogerent. Sane admodum periculosum esse ordine non mutato faciem vertere sinistrorsum, quoniam ita non sint duces in fronte; potuisse tamen hoc quoque fieri aliquando in re subita aut ubi hostis contemneretur. Ita ille, qui nescio an singula huius loci verba parum perpenderit. Legimus enim: *ἢν γε μὴν κατὰ τὰ εὐώνυμα πολέμιοι προσίωσιν, οὐδὲ τοῦτο ἐῶσιν*, i. e. si vero a sinistra hostes accedant, ne hoc quidem sinunt. Manifestum est illud *τοῦτο* significare *τὸ τοὺς πολεμίους κατὰ τὰ εὐώνυμα προσιέναι* atque verbum *προσίωσιν* non de facto sed de conatu dici. Quare falli videtur Haasius quod Spartanos longo agmine servato cum hostibus conflixisse

putat; namque, uti ex ipsa rerum condicione et e verbis *οὐδὲ τοῦτο ἐῶσιν* evidenter apparet, Spartani ne in statu tam iniquo proelium inirent caute prohibebant. Quomodo autem tale periculum evitarint scriptor sequentibus videtur verbis exponere. Pergit enim: *ἀλλ' ἀπωθοῦσιν ἢ ἐναντίους ἀντιπάλους τοὺς λόχους στρέφουσι*, unde duplam Lacedaemonios in tali periculo rationem secutos esse elucet. Atque altera quidem (*ἐναντίους .... στρέφουσι*) qualis fuerit perspicuum est. Similiter enim milites agunt ac si a fronte vel dextra vel tergo hostes appropinquent: singulos videlicet manipulos sinistrorsum convertunt, quoad hostibus sint adversi. At illud *ἀπωθοῦσιν*, quod Spartani conversione non facta facere dicuntur, quid sit statuere minus quam suspicari licet. Ipse enim gravis armaturae exercitus pro verbi *ἀπωθοῦσι* subiecto cum Haasio haberi non potest, si quidem verba *οὐδὲ τοῦτο* (scil. *προσιέναι*) *ἐῶσιν* non neglexeris. Verum, nisi ipsum scriptorem sibi adversari velis, de equitibus vel leviter armatis hoc loco cogitandum est qui iustum exercitum comitabantur. Quod ne Haasium quidem fugit, cum sic pergat: 'praeterea autem quod saepe alibi fit potest hic quoque commodum videri; possunt enim hostes aut telis eminus repelli, maxime si funditores aliique *ψιλοί* adsint, aut mittuntur equites....' Ad hoc igitur pugnae genus *ἀπωθοῦσιν* videtur spectare. Neque tamen assenserim Haasio quod in vulgata acquiescendum esse existimat. Nam nimis obscura atque recisa est oratio quam ut eam scriptori qui perspicuitati ubique et elegantiae studuerit tribuere audeamus. Itaque lacunosum esse hunc locum iudicamus, quem non integrum esse etiam ex sequentibus cognoscitur, ubi cumulatio *ἐναντίους ἀντιπάλους* sententia idonea caret. Stephanus quidem *ἀντιπάλους* in *ἀντιπάλοις* mutandum esse coniecit, quod plerique deinde editores inter scriptoris verba receperunt; sed ita locus non restituitur, cum, ut Dindorfius recte animadvertit, articulus *τοῖς* ante *ἀντιπάλοις* deesse nequeat.

XIII 5.

ὅταν δὲ τελεσθῇ τὰ ἱερά, ὁ βασιλεὺς προσκαλέσας πάντας παραγγέλλει τὰ ποιητέα. ὥστε ὁρῶν ταῦτα ἡγήσαιο ἂν τοὺς μὲν ἄλλους αὐτοσχεδιαστὰς εἶναι τῶν στρατιωτικῶν, Λακεδαιμονίους δὲ μόνους τῷ ὄντι τεχνίτας τῶν πολεμικῶν.

Alterum enuntiatum cum superiore male coniungitur, cum pronomen *ταῦτα* quo pertineat non videamus. Profecto quod rex omnes convocat et quae praestanda sint imperat minus admirandum est quam ut propterea Spartani tanquam artifices rei militaris collaudentur. Neque vero Spartani hoc more a ceterarum civitatum bella gerendi ratione tantopere differebant. Nisi forte ceteros milites nulla accepisse a duce imperia et suo arbitratu bella gessisse putaveris. Et ne sic quidem *ταῦτα* explicare licet ut ad ea quae de sacris faciendis supra dicuntur referatur; namque sacrorum observantia neque a ceteris ducibus neglegebatur neque apte in pugnandi arte numeratur. Itaque Cobetus [1]) omissa esse quaedam arbitratur comparato loco Thuc. V 66, 3—4, ubi legimus haec: *βασιλέως γὰρ ἄγοντος ὑπ' ἐκείνου πάντα ἔρχεται, καὶ τοῖς μὲν πολεμάρχοις αὐτὸς φράζει τὸ δέον, οἱ δὲ τοῖς λοχαγοῖς, ἐκεῖνοι δὲ τοῖς πεντηκοντῆρσιν, αὖθις δ' οὗτοι τοῖς ἐνωμοτάρχοις καὶ οὗτοι τῇ ἐνωμοτίᾳ· καὶ αἱ παραγγέλσεις, ἤν τι βούλωνται, κατὰ τὰ αὐτὰ χωροῦσι καὶ ταχεῖαι ἐπέρχονται· σχεδὸν γάρ τι πᾶν πλὴν ὀλίγου τὸ στρατόπεδον τῶν Λακεδαιμονίων ἄρχοντες ἀρχόντων εἰσὶ καὶ τὸ ἐπιμελὲς τοῦ δρωμένου πολλοῖς προσήκει.* Sed ne assentiamur Cobeto nonnihil videtur obstare. Elucet enim quae apud Thucydidem legantur ad pugnam pertinere, hoc autem loco de sacris agi quae in omni expeditione fiebant (cf. § 3 *ἀεὶ δὲ ὅταν θύηται κ. τ. λ.*, § 4 *πάρεισι δὲ περὶ τὴν θυσίαν κ. τ. λ.*, § 5 *ὅταν δὲ τελεσθῇ τὰ ἱερὰ κ. τ. λ.*) atque de imperatis quae rex post sacrificia mandabat. De ipsa autem pugna infra demum § 6 verbis *ἦν δέ ποτε μάχην οἴωνται ἔσεσθαι κ. τ. λ.* scriptor loqui incipit. Deinde, si qualia vult Cobetus excidisse statueres, verba *προσκαλέσας πάντας* non intellegerentur. Significantur sine dubio voce *πάντας* quicumque sub rege sunt duces supra (§ 4) commemorati. Iam si omnes duces apud regem congregati sunt, quid iam opus est illa quam Thucydides refert ratione imperata communicandi? Scilicet ante pugnam et ipsa in pugna illo modo regis imperata singulis acclamarentur necesse erat, quoniam convocare omnes per tempus non licebat. At hoc loco non de pugna, ut dixi, sed de sacris sermo est quae in itinere exercitus fieri solebant. Quae

[1]) L. c. p. 735.

igitur post *ποιητέα* vocem addi potuerint talia ut pronomen *ταῦτα* haberet quo commode referretur non perspicimus.

Sed verba *ὥστε ὁρῶν ταῦτα κ. τ. λ.* eam continent sententiam ut ad regis mandata pertinere vix possint. Verum ad ipsam pugnam respiciunt et, modo verbum *ὁρῶν* recte perpendas, iis antecessisse videntur quae aspectum quendam magnificum ac splendidum describerent. Neque dubitamus quin illud enuntiatum collocatum fuerit infra post *προαγορεύεται* § 8, ubi legimus *μάλα δὲ καὶ τάδε ὠφέλιμα, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἐμηχανήσατο Λυκοῦργος εἰς τὸν ἐν ὅπλοις ἀγῶνα. ὅταν γὰρ ὁρώντων ἤδη τῶν πολεμίων χίμαιρα σφαγιάζηται, αὐλεῖν τε πάντας τοὺς παρόντας αὐλητὰς νόμος καὶ μηδένα Λακεδαιμονίων ἀστεφάνωτον εἶναι· καὶ ὅπλα δὲ λαμπρύνεσθαι προαγορεύεται.* His enim si verba *ὥστε ὁρῶν ταῦτα κ. τ. λ.* adiungas, et *ταῦτα* vox quid sibi velit et tota sententia clare intellegitur.

Ne forte offendas quod speciem pulchram et splendorem scriptor ita nimis fortasse aestimat, cf. Anab. I 2, 18 *ἡ δὲ Κίλισσα ἰδοῦσα τὴν λαμπρότητα καὶ τὴν τάξιν τοῦ στρατεύματος ἐθαύμασε*, II 3, 3 *ἐπεὶ δὲ κατέστησε τὸ στράτευμα ὥστε καλῶς ἔχειν ὁρᾶσθαι πάντῃ φάλαγγα πυκνὴν, τῶν δὲ ὁπλων μηδένα καταφανῆ εἶναι, ἐκάλεσε τοὺς ἀγγέλους καὶ αὐτός τε προῆλθε τούς τε εὐοπλοτάτους ἔχων καὶ εὐειδεστάτους τῶν αὐτοῦ στρατιωτῶν*, Hipp. I 22 *ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦ καλῶς γε ὁπλισθῆναι τοὺς ἱππέας οἱ φύλαρχοι ἄν μοι δοκοῦσι μέγιστον συλλαμβάνειν, εἰ πεισθεῖεν ὅτι πολύ ἐστι πρὸς τῆς πόλεως εὐδοξότερον τῇ τῆς φυλῆς λαμπρότητι κεκοσμῆσθαι ἢ μόνον τῇ ἑαυτῶν στολῇ*, Cyrop. VI 4, 1 *ἥρπαττε μὲν χαλκῷ, ἦνθει δὲ φοινικίσι πᾶσα ἡ στρατιά*, ibid. VII 1, 2 *τὰ δὲ Κύρου ὅπλα ὥσπερ κάτοπτρον ἐξέλαμπεν*, quibus locis multos addere licet. Denique vide Rp. Lac. XI 3, de quo loco supra disputavimus.

XIII 10.

ὅταν γε μὴν καιρὸς δοκῇ εἶναι στρατοπεδεύεσθαι, τούτου μὲν κύριος βασιλεὺς καὶ τοῦ δεῖξαί γε ὅπου δεῖ· τὸ μέντοι πρεσβείας ἀποπέμπεσθαι καὶ φιλίας καὶ πολεμίας, τοῦτ' αὖ βασιλέως.

Turbatam esse huius loci cohaerentiam inde primo statim obtutu cognoscitur quod, cum altera enuntiatio priori non sit contraria, *μέντοι* vi sua destitutum est. Itaque Weiskius senten-

tiae ita subvenit ut proponeret *τοῦτ᾽ οὐ βασιλέως, ἀλλ᾽ ἐφόρων*. Secuti eum sunt Heindorfius et Schneiderus. Et ne Dindorfius quidem multum ab eo dissentit, quippe qui legendum esse putet *τοῦτ᾽ αὖ ἐφόρων*, nomen *βασιλέως* propter idem vocabulum in fine sequentis enuntiati positum a librario pro *ἐφόρων* scriptum esse ratus. Nituntur illi locis qui leguntur in Hell. II 2, 12—13. II 4, 38. V 3, 24, unde apparet non omnino licuisse regibus suo arbitratu de pace et foedere aut mittere legatos aut accipere. Nihilo setius coniecturae illae quibus hoc legatos mittendi ius prorsus ephororum fuisse diceretur minime probantur. Ita enim ipse scriptor sibi obloqueretur, cum in eiusdem capitis § 5 haec legamus: *πάρεισι δὲ καὶ τῶν ἐφόρων δύο, οἳ πολυπραγμονοῦσι μὲν οὐδέν, ἢν μὴ ὁ βασιλεὺς προσκαλῇ*. Profecto qui nihil agere ephoros, nisi a rege sint advocati, diserte dicit idem deinde solis ephoris foedera faciendi omninoque legatos mittendi potestatem tribuere non potest. Neque magis intellegerentur verba quae statim sequuntur *καὶ ἄρχονται μὲν πάντες ἀπὸ βασιλέως, ὅταν βούλωνται πρᾶξαί τι*, quibus nihil gravius nisi rege auctore fieri dicitur. Accedit quod scriptor initio huius capitis haec praefatur: *διηγήσομαι δὲ καὶ ἣν ἐπὶ στρατιᾶς ὁ Λυκοῦργος βασιλεῖ δύναμιν καὶ τιμὴν παρεσκεύασε;* atque agitur hoc capite de regum munere, negotiis, auctoritate nec quicquam profertur quod non aliqua ex parte ad regiam dignitatem pertineat. Si vero legatos mittendi ius non regum erat sed penes ephoros, cur omnino in illa cohaerentia commemoretur non videmus. Sed servanda sunt verba *τοῦτ᾽ αὖ βασιλέως*, quae admodum probabiliter Haasius explicavit. Ipsius utor verbis: ‘cogitandum est non iam de universo iure regio agi sed de potestate militari; in bello autem saepe multae incidunt res quae neque differri queant neque etiam summas rei publicae rationes complectantur, veluti ubi de indutiis agitur aut praeparantur pacis condiciones; in eiusmodi igitur rebus satis veri simile est pro suo arbitratu egisse reges, et si forte cum ephoris de iis consultabant, ipsos tamen legatos creare et mittere haud dubie solis regibus licebat.’ Addere potuit Agesilaum quidem, cum in Asia contra Persas dimicaret, suo arbitrio et indutias cum Tissapherne fecisse et egisse cum Pharnabazo (cf. Hell. III 4, 5 sq. IV 1, 29 sqq.). Quare nihili est quod monuit Din-

dorfius βασιλέως nomen hoc loco vel propterea suspectum esse quod infra § 11 legeretur: βασιλεῖ οὐδὲν ἄλλο ἔργον καταλείπεται ἐπὶ φρουρᾶς ἢ ἱερεῖ μὲν τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς εἶναι, στρατηγῷ δὲ τὰ πρὸς τοὺς ἀνθρώπους. Nam ut illo in bello ita saepius fieri poterat ut legatos mittendi atque agendi potestas cum ducis munere necessitate quadam coniuncta esset. Igitur retinendam esse codicum scripturam cum Haasio et C. O. Muellero [1]) consentio, ab iisdem dissentio quod locum qualem traditum accepimus recte se habere existimant. Vocem μέντοι enim ita intellegendam esse arbitrantur ut posterior sententia opponatur superiori, quae de solis sit belli gerendi negotiis. Attamen ne sic quidem oritur vera oppositio, si legationes omnes pariter atque belli negotia penes regem esse dicuntur. Praeterea ipsum illud πρεσβείας ἀποπέμπεσθαι καὶ φιλίας καὶ πολεμίας quod regi tribuatur non in universum sed in ipsius belli temporibus valere ipse Haasius statuit. Itaque hac interpretatione μέντοι non excusatur. Cum igitur hoc loco sententiarum commissura prorsus hiare videatur et μέντοι coniunctioni adversari, nihil dubitamus quin post δεῖ verbum omissa sint nonnulla quibus quaedam negotia ex regis munere exciperentur. Quid autem exciderit non magis confidenter statuere audemus quam certum iudicium facere de verbis § 9 praegressis: καὶ παρακελεύονται δὲ τῷ ἐνωμοτάρχῳ· οὐδ᾽ ἀκούεται γὰρ εἰς ἑκάστην πᾶσαν τὴν ἐνωμοτίαν ἀφ᾽ ἑκάστου ἐνωμοτάρχου ἔξω· ὅπως δὲ καλῶς γίγνηται πολεμάρχῳ δεῖ μέλειν. Hic enim pariter lacunis interruptus est sententiarum ordo atque disiecta tantum huius partis membra habemus, non iustum rerum ac verborum conexum. Qui adeo desideratur ut de iis quae evanuerint ne coniecturam quidem facere liceat.

II.

Quoniam de singulis huius libelli locis [2]) quae dicenda esse videbantur exposui, iam de tradita omni eius forma qualis sit et quomodo orta, ut mihi propositum est, disputabo. Ac primum

[1]) Die Dorier vol. II. p. 104.

[2]) Addo aliquot locos quibus vel singula verba vel complura excidisse omnes fere interpretes videntur consentire: V 5 ἀνέμιξε * παιδεύεσθαι, V 8 τῶν <αὐτῶν> σίτων, ibid. μήποτε <πόνους> αὐτοῖς, XI 5 παρέχεσθαι * οὕτω, XI 6 δηλοῦνται * ἀρχαί, XII 3 ξένων * αὐτῶν.

quidem ex iis ipsis quae hucusque de singulis locis disserui animadvertere licet non ab omni parte plenum atque integrum illum nobis traditum esse. Accedit quod et in initio libelli et in fine videtur aliquantum perisse. Nam qua coniunctione (ἀλλά) nunc quidem libellus exordiatur aut incepisse opus ullum aut potuisse incipere confidenter negamus. Neque quae exempla afferuntur ab interpretibus eiusmodi sunt ut ad hoc exordium quicquam attinere videantur. Quod enim eodem modo Hyperides orationem pro Euxenippo exorditur (ἀλλ' ἤγωγε), non dubium est quin ille extrema adversarii Polyeucti, qui prior locutus erat, verba respexerit, id quod quae sequuntur verba αἱ τοιαῦται εἰσαγγελίαι manifestum reddunt. Neque minus Xenophontis Convivium, quod eadem particula (ἀλλ' ἐμοί), aut Oeconomicus, qui similiter (ἤκουσα δέ) incohatur, frustra cum hoc opusculo comparantur. Nam, ut Boeckhii,[1]) qui recte iis de libellis iudicavit, verbis utar, 'Xenophonteum Symposium pars est operis Socrati defendendo eiusque universo vitae generi moribusque adumbrandis scripti, quod a Memorabilibus incipiens Oeconomicum cum Convivio complectebatur.' Quoniam igitur, quod ipsum valde improbabile est, exemplis nullis confirmari potest verba ἀλλ' ἐγώ nativum huius libelli effecisse initium, haud temere mihi facere videor quod ante illa evanuisse nonnulla contendo quibus ἀλλά coniunctio commode applicaretur. Atque ut genuino exordio ita idonea peroratione opusculum caret. Namque hexametrum versum qui in fine legatur τοὺς Λακεδαιμονίων βασιλεῖς προτετιμήκασιν, cui propter spondeum qui est in pede quinto singularem gravitatis inesse imitationem Naumannus[2]) opinatur, ab ipso esse Xenophonte consulto formatum credat qui volet. Verum licet Xenophonteus sit ille versus, casu procul dubio, non consilio exortus est, nisi forte media in oratione hunc scriptorem consulto versus finxisse putaveris. An tu illa verba totius opusculi fuisse extrema existimas? Minime nos quidem, cum honorum desit descriptio qui mortuo regi destinati fuerint. Etenim si nihil secutum esset, non intellegeretur quid τῇδε vox XV 9 sibi vellet, quam ad sequentia spectare fa-

[1]) Gesammelte kleine Schriften IV. p. 1 sqq. (De simultate quae inter Platonem et Xenophontem intercessisse fertur).

[2]) L. c. p. 18.

cile patet. Vivi autem regis honores longius antea explanati sunt, quos satis tamen esse exiles ipse scriptor fatetur § 8: *αὗται μὲν οὖν αἱ τιμαὶ οἵκοι ζῶντι βασιλεῖ δέδονται οὐδέν τι πολὺ ὑπερφέροισαι τῶν ἰδιωτικῶν.* Iam vero mortuo regi constitutos honores, quos gravissimos fuisse paeneque divinos ex § 9 concludas, omissos esse a scriptore putemus? Quem quales hi essent honores ipsum ignorasse non est credibile. Atqui alias ubique per libellum planis ille verbis quae de quaque re aut sciebat aut suspicabatur exposuit, quin minima narrare non dubitavit. Cf. IX 5. XII 4. XV 4—6. Quid igitur hoc loco mira haec omissio? Immo cum praefatus esset scriptor XV 1: *βούλομαι δὲ καὶ ὃς βασιλεῖ πρὸς τὴν πόλιν συνθήκας ὁ Λυκοῦργος ἐποίησε διηγήσασθαι*, postquam minora diligenter enarravit, graviora minime conticuit, sed accuratius utique qui mortui essent regis honores exposuit. In ea igitur ipsa re genuina videtur libelli peroratio versata esse. Nam quod Ćwiklińskius[1]) arbitratur, praeterea requiri generalem quandam sententiam exordio similem, non probatur, si quidem Cyropaediam[2]) comparamus, quae olim quidem narrata Cyri morte finem habuit verbis *ταῦτ' εἰπὼν καὶ πάντας δεξιωσάμενος συνεκαλύψατο καὶ οὕτως ἐτελεύτησεν* (VIII 7, 28). Ceterum versus ille quem laudat Naumannus heroicus num ab ipso sit Xenophonte profectus valde dubitamus. Nam quoniam de aliis quam Lacedaemoniorum regibus nemo hoc loco cogitat, omnino supervacaneum vixque ferendum est nomen *Λακεδαιμονίων*, quo deleto versum corruere vides.

Sed utcumque ea de re iudicas, hoc dilucide apparet, et Naumannum cum nihil in tradito commentarii habitu offensionis videret et Steinium illius assensorem parum recte de eo iudicasse. Neque magis sunt verum assecuti qui hunc libellum ex maiore quodam opere Xenophonteo excerptum esse putarunt, ut Koechlyus et Ruestowus,[3]) Bergkius,[4]) Cobetus,[5]) Cyprianus[6]). Atque Cyprianus

---

[1]) L. c. p. 496.

[2]) Huius epilogum (VIII 8) non genuinum esse vid. p. 60 sqq.

[3]) Geschichte des griech. Kriegswesens praef. p. XIII.

[4]) Allgem. Encyclop. d. W. u. K. LXXXI p. 393.

[5]) L. c. p. 706.

[6]) *Περὶ τῶν Ἑλληνικῶν τοῦ Ξενοφῶντος.* p. 91 sqq.

quidem miram proponit sententiam, cum Hellenica, Agesilaum, Apologiam, libellos de rep. Lac. et de rep. Ath. reliquias esse dicat unius operis amplioris quo Xenophon res inde ab extremo bello Peloponnesiaco usque ad pugnae Leuctricae tempora gestas itemque mores Atheniensium et Lacedaemoniorum longius descripserit. Cui rationi ne speciem quidem inesse verisimilitudinis Naumannus[1]) bene ostendit. Atque ea potius huius libelli est indoles ut cum nullo alio Xenophontis opere commune quicquam habuisse videatur, minime vero cum libello qui est de rep. Ath., quem neque Xenophonteum esse neque post Niciae pacem compositum inter omnes constat. Sed separatim hoc de quo agimus opusculum ut conscriptum ita examinandum esse atque diiudicandum argumentum eius, ratio, dispositio evidenter declarant. Causa enim libelli in eo versatur ut *ἐπιτηδεύματα*, i. e. disciplina, oboedientia, consuetudo Lacedaemoniorum, describantur neque minus laudibus efferantur quam Lycurgi, qui illa creaverit, sapientia. Qualis materia cur peculiari commentario tractari non potuerit dici nequit; immo eandem, quin sincera eius indoles periret, cum alio argumento coniungi omnino non licebat. Quare hoc concedas necesse est, si breviarium sit hic libellus, maius illud unde excerptus sit opus non posse nisi de solis fuisse legibus Lycurgeis. Neque tamen mirum videtur quod ii quos nominavi interpretes non ipsum Xenophontis opus plenum sed epitomen esse commentarium de rep. Lac. existimarunt. Nam praeterquam quod non paucis est lacunis dilaceratus, multa quae ad res Spartanas legesque Lycurgi pertinebant omissa sunt, id quod vel Plut. Lyc. comparatus ostendit. Maxime autem illi ad hanc videntur sententiam adducti esse loco Polybii, qui legitur VI 45, 1: *ἐπὶ δὲ τὴν Κρηταιῶν πολιτείαν μεταβάντας ἄξιον ἐπιστῆσαι κατὰ δύο τρόπους πῶς οἱ λογιώτατοι τῶν ἀρχαίων συγγραφέων Ἔφορος, Ξενοφῶν, Καλλισθένης, Πλάτων πρῶτον μὲν ὁμοίαν εἶναί φασι καὶ τὴν αὐτὴν τῇ Λακεδαιμονίων, δεύτερον δ' ἐπαινετὴν ὑπάρχουσαν ἀποφαίνουσιν· ὧν οὐδέτερον ἀληθὲς εἶναί μοι δοκεῖ.* Neque enim aut hoc in libello aut alio loco laudandas esse leges Cretensium vel similes Lacedaemoniorum institutis ullo verbo Xenophon dicit,

[1]) L. c. p. 12 sq.

ita ut hanc sententiam, cum illius opus in brevius contraheretur, omissam esse facile suspicari possis. Nihilo tamen setius breviarium esse hunc libellum omnino videtur negandum esse. Ac primum quidem reputandum est non tam universas res Spartanas scriptorem aut omnes leges a Lycurgo latas describere voluisse quam ea potius instituta quae ad ἐπιτηδεύματα civium spectarent et quibus Sparta ad summum gloriae fastigium ascendisse videretur. Ipse enim in exordio haec profitetur: ἐννοήσας ποτὲ ὡς ἡ Σπάρτη τῶν ὀλιγανθρωποτάτων πόλεων οὖσα δυνατωτάτη τε καὶ ὀνομαστοτάτη ἐν τῇ Ἑλλάδι ἐφάνη, ἐθαύμασα ὅτῳ ποτὲ τρόπῳ τοῦτ' ἐγένετο· ἐπεὶ μέντοι κατενόησα τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν Σπαρτιατῶν, οὐκέτι ἐθαύμαζον. Nec vero gravius quicquam quod ad ἐπιτηδεύματα Spartiatarum pertineret ille omisit, ut hac sane ex parte, modo quas lacunas invenimus excipias, iure possis libellum integrum vocare. Duplex autem erat disciplina Lacedaemoniorum, et domestica et militaris, sed altera tam arte cum altera coniuncta ut priore opusculi parte (capp. I—X) in universum de disciplina Spartana agatur (cf. XI 1 καὶ ταῦτα μὲν δὴ κοινὰ ἀγαθὰ καὶ ἐν εἰρήνῃ καὶ ἐν πολέμῳ). Iam cum magnitudinem illam quam explicare vult scriptor imprimis singulari bella gerendi arti Lacedaemonii deberent, peculiari ille opusculi parte (capp. XI sqq.) exponendum esse existimavit quae militaria Lycurgi instituta ceteris civitatibus praestarent (cf. XI 1 εἰ δέ τις βούλεται καταμαθεῖν ὅ τι καὶ εἰς τὰς στρατείας βέλτιον τῶν ἄλλων ἐμηχανήσατο, ἔξεστι καὶ τούτων ἀκούειν). Atque si quanta tum artis bellicae laude Spartani floruerint reputaveris, minus offendes quod in enarranda eorum consuetudine militari longius fortasse quam pro ambitu opusculi scriptor versari videtur, qua de re cf. XII 7 ὅτι δὲ πολλὰ γράφω (scil. de re militari) οὐ δεῖ θαυμάζειν· ἥκιστα γὰρ Λακεδαιμονίοις εὕροι ἄν τις παραλελειμμένα ἐν τοῖς στρατιωτικοῖς ὅσα δεῖ ἐπιμελείας. Minime vero audiendus est Erlerus [1]), qui capp. XI sqq. inde ab initio cum superioribus capp. coniuncta fuisse negat. Namque errat ille quod totum opusculum ita scriptum esse opinatur quasi quaecumque eo proferantur ceteris Graecis imitanda commendentur; quod si verum esset, haud pauca sane

[1]) L. c. p. 4 sqq.

eorum quae capp. XI sqq. narrantur a proprio scriptoris consilio discederent. Sed tale consilium in primis opusculi verbis, ubi quod consilium sequatur scriptor clare significat, non comparet. Immo de imitatione legum Spartanarum nihil audimus nisi X 8: *ἐπαινοῦσι μὲν πάντες τὰ τοιαῦτα ἐπιτηδεύματα, μιμεῖσθαι δὲ αὐτὰ οὐδεμία πόλις ἐθέλει.* Illic autem ea tantum intellegenda esse *ἐπιτηδεύματα* quae capp. superioribus sint exposita vix est quod commemorem. At quae a cap. XI de re militari dicuntur omnia a ceteris Graecis imitanda esse ex his quidem verbis non efficitur. Quare nihil obstare videtur quin alteram libelli partem cum priore ab ipso utriusque scriptore coniunctam esse iudicemus. Neque enim capp. XI et XII argumentum ullo modo a consilio I 1 indicato digreditur; atque etiam cap. XIII, quod nonnullis ad superiora minus quadrare videbatur, suo esse loco iudicamus, cum quae regis sunt apud exercitum munera cum disciplina militari tam arte videantur conexa esse ut in universum hoc quoque caput ad *ἐπιτηδεύματα* Spartiatarum pertineat. Idem de cap. XV sane contendi nequit, quod, cum a proprio libelli argumento nonnihil discedat, satis iam movit suspicionis. Neque verum est quod Naumannus[1]) dicit, scriptori, quoniam civium officia quae essent domi militiaeque exposuisset duplicemque ephororum tetigisset potestatem, etiam regiae potestatis partem domesticam commemorandam fuisse. Nam ea sola describenda erant scriptori quae ad disciplinam vel consuetudinem Lacedaemoniorum sive domesticam sive militarem spectabant, quare senatorum non minus quam ephororum munera itemque regis in milites officia suo esse loco a scriptore exposita nemo non videt. Verum quid ceteroqui regis honoribus cum disciplina publica commune sit non facile dicas. Itaque debuisse scriptorem cap. XV iis quae praecedunt addere temere contenditur. Nihilo setius a Xenophonte hoc caput abiudicare non ausim, si quidem cur illud addiderit aliquam habet excusationem. Nam qui domestici regis hoc capite honores enumerantur, licet ad disciplinam civium parum attineant, magnam tamen partem ad ipsius regis vitam civiumque cum eo rationem et consuetudi-

[1]) L. c. p. 17.

nem spectant; hanc vero materiam a superiorum capp. argumento, quod ad ἐπιτηδεύματα Spartanorum pertinet, nimis abhorrere non credimus. Praeterea autem verbis μόνη γὰρ δὴ αὕτη ἀρχὴ (scil. regnum) διατελεῖ οἵαπερ ἐξ ἀρχῆς κατεστάθη· τὰς δὲ ἄλλας πολιτείας (scil. publica civitatum instituta) εὕροι ἄν τις μετακεκινημένας καὶ ἔτι καὶ νῦν μετακινουμένας (XV 1) ipse scriptor cur hoc caput adderet quodammodo excusavit, cum quae eo proferrentur cum reliqui libri argumento laxius cohaerere non ignoraret. Quod si ita est, falluntur qui hoc caput aliter scriptori servari non posse existimant nisi ut excerptum esse hunc libellum statuatur ex ampliore opere quo de omnibus institutis ac muneribus Spartanis scriptor fusius egerit.

Verum enimvero, ut iam unde digressa est redeat oratio, si scriptoris consilium eiusque de rep. Lac. commentarium qualis traditus est consideraveris, neque deesse maiorem ullam partem invenies nec quicquam potuisse addi concedes quod non aliqua ex ratione consilio in initio eius proposito responderet. Itaque cum ad summam rei propositae nihil desit, non est cur ullo modo ipsius Xenophontis librum detruncatum vel mutilatum esse credamus. Neque ex lacunis quae comparent vel ex perturbato sententiarum ordine eius breviarium nobis servatum esse recte colligitur. Nam cum in turbato ordine nulla cernatur ratio, consulto turbatus esse nequit. Atque idem de lacunis dicendum est, cum quo consilio quaque ratione effectae sint nemini liqueat. An brevitatis quoddam studium in omissis necessariis sententiarum partibus cognoscitur? Sane orationem minus explicatam esse hoc modo possumus intellegere, sed quae prorsus hiulca sunt atque adeo mutilata ut nec verborum nec rerum sana cohaerentia cernatur ita neque excusari neque exstitisse possunt. Tales autem fere omnes ii loci sunt quos lacunosos esse perspeximus. Mediis enim in enuntiatis articuli membraque exciderunt, sententiae diversae in unam videntur contractae esse. Numquid haec brevitatis studio tribuamus? Sane stupidissimum quendam supraque fidem incuriosum hominem nobis fingamus necesse sit, qui ita scriptoris verba in angustiorem ambitum redegerit. Neque facile ad epitomen revocari potest quod, cum necessaria subinde desiderentur,

leviora nonnunquam servata sunt [1]). Accedit quod maior libelli pars nullum epitomae vestigium prodit, cum ipsae transitiones sedulo servatae sint. Nam quanquam aliquot locis ille mutilatus est, tamen omnino neque commoda rerum explicatio neque apta verborum iunctura desideratur, atque ubi transitus fit ad aliam sententiam hoc ubique diserte et cum abundantia quadam significatur [2]); neque, si apertas lacunas omiseris, in oratione quicquam abruptum vel nimis ieiunum atque exile invenies sed omnia satis plena et continua. Talem autem sermonis tenorem epitomae

[1]) Velut I 9 *αἵ τε γὰρ γυναῖκες κ. τ. λ.* II 8 *εἴποι δ' ἄν οὖν τις κ. τ. λ.* II 14 *τὸ μέντοι ἀπιστεῖσθαι κ. τ. λ.* III 4 *ἐνθα δὴ κ. τ. λ.* IV 5 *καὶ αὕτη δὴ γίγνεται κ τ. λ.* alia.

[2]) Singulae locutiones et sententiae quibus scriptor ad nova transit vel quae antea exposuit comprehendit haece sunt:

I 3 *αὐτίκα γὰρ περὶ τεκνοποιίας, ἵνα ἐξ ἀρχῆς ἄρξωμαι, κ. τ. λ.,*

I 10 *περὶ μὲν δὴ τεκνοποιίας οὕτω τἀναντία γνοὺς τοῖς ἄλλοις εἴ τι . . . . ὁ βουλόμενος ἐπισκοπείτω,*

II 1 *ἐγὼ μέντοι, ἐπεὶ . . . . . ἐξήγημαι, βούλομαι . . . . σαφηνίσαι,*

II 12 *λεκτέον δέ μοι δοκεῖ εἶναι καὶ περὶ κ. τ. λ.,*

II 14 *ἡ μὲν δὴ παιδεία εἴρηται ἥ τε Λακωνικὴ καὶ ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων· ἐξ ὁποτέρας δ' αὐτῶν κ. τ. λ.,*

III 5 *καὶ τῶν μὲν αὖ παιδίσκων οὕτως ἐπεμελήθη,.*

IV 2 *ὡς οὖν τούτους αὖ συνέβαλεν ἐξηγήσομαι,*

V 1 *ἃ μὲν οὖν ἑκάστη ἡλικίᾳ ἐνομοθέτησεν ὁ Λυκοῦργος σχεδὸν εἴρηται· οἵαν δὲ καὶ πᾶσι δίαιταν κατεσκεύασε νῦν πειράσομαι διηγεῖσθαι,*

VI 1 *ἐναντία γε μὴν ἔγνω καὶ τάδε τοῖς πλείστοις,*

VII 1 *ἐναντία γε μὴν καὶ τάδε τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι κατέστησεν ὁ Λυκοῦργος ἐν τῇ Σπάρτῃ νόμιμα,*

IX 1 *ἄξιον δὲ τοῦ Λυκούργου καὶ τόδε ἀγασθῆναι,*

IX 3 *ἦ μέντοι ὥστε ταῦτα γίγνεσθαι ἐμηχανήσατο, καὶ τοῦτο καλὸν μὴ παραλιπεῖν,*

IX 6 *ἐγὼ μὲν δὴ τοιαύτης τοῖς κακοῖς ἀτιμίας ἐπικειμένης,*

X 1 *καλῶς δέ μοι δοκεῖ ὁ Λυκοῦργος νομοθετῆσαι,*

X 4 *τόδε γε μὴν τοῦ Λυκούργου πῶς οὐ μεγάλως ἄξιον ἀγασθῆναι,*

XI 1 *καὶ ταῦτα μὲν δὴ κοινὰ ἀγαθὰ καὶ ἐν εἰρήνῃ καὶ ἐν πολέμῳ· εἰ δέ τις βούλεται . . . . ἔξεστι καὶ τούτων ἀκούειν,*

XII 1 *ἐρῶ δὲ καὶ ᾗ στρατοπεδεύεσθαι ἐνόμισε χρῆναι Λυκοῦργος,*

XIII 1 *διηγήσομαι δὲ καὶ ἣν ἐπὶ στρατιᾶς ὁ Λυκοῦργος βασιλεῖ δύναμιν καὶ τιμὴν παρεσκεύασε,*

XIII 2 *ἐπαναλήψομαι δὲ ὡς ἐξορμᾶται σὺν στρατιᾷ ὁ βασιλεύς,*

XV 1 *βούλομαι δὲ καὶ ἃς βασιλεῖ πρὸς τὴν πόλιν συνθήκας ὁ Λυκοῦργος ἐποίησε διηγήσασθαι.*

eo minus attribuere licet, cum tota rerum tractatio atque verborum elocutio Xenophontis exprimat ingenium moremque scribendi [1]); haec enim breviarii auctorem quamvis callidum tam diligenter servasse aut tam prudenter imitatum esse valde sane mirandum esset. Quae cum ita sint, eorum qui in brevius contractum esse hunc libellum putant iudicium nullo modo probatur. Quorum sententiam, modo accuratius rem spectes, ne illo quidem Polybii quem supra scripsi loco adiuvari vides. Nam ut ponamus Xenophontem in hoc scripto de similitudine Lacedaemoniorum et Cretensium rei publicae locutum esse, eo epitomen eius nos habere non evincitur; nam inde quod deest haec comparatio consulto eam omissam esse nondum efficeretur, praesertim cum alia quoque desint quae etiam in breviario omitti non potuerint. Sed re vera scriptor quae Polybius dicit commemorare non potuit. Idem enim cum statim in initio libelli [2]) et saepissime praeterea [3]) instituta Lycurgi non ex aliis civitatibus deprompta sed ex ipsius sapientia profecta esse praedicet et omnia fere ceterorum Graecorum moribus esse contraria ostendat, nonne ipse a se dissensisset, si ullo loco Lycurgum Cretensium leges imitatum esse commemorata harum similitudine quamvis oblique designasset? Nam aut hinc repetenda erat haec similitudo aut inde quod Cretenses Lycurgi instituta accepissent. Hoc autem multo etiam minus ille cogitare poterat, quoniam X 8 legimus: *οὕτω δὲ παλαιοὶ ὄντες* (scil. *οἱ τοῦ Λυκούργου νόμοι*) *ἔτι καὶ νῦν τοῖς ἄλλοις καινότατοί εἰσι· καὶ γὰρ τὸ πάντων θαυμαστότατον ἐπαινοῦσι μὲν πάντες τὰ τοιαῦτα ἐπιτηδεύματα, μιμεῖσθαι δὲ αὐτὰ οὐδεμία πόλις ἐθέλει.* Nihil igitur ille Polybii locus, utcumque explicatur, ad diiudicandam huius libelli integritatem attinere videtur, immo, cum parum ad Xenophontis sententiam conveniat, Polybium ibi erravisse et Xenophontem pro Aristotele [4])

[1]) Cf. Naumann. l. c. p. 30 sqq.

[2]) I 2 *Λυκοῦργον μέντοι τὸν θέντα αὐτοῖς τοὺς νόμους οἷς πειθόμενοι ηὐδαιμόνησαν, τοῦτον καὶ θαυμάζω καὶ ἐς τὰ ἔσχατα σοφὸν ἡγοῦμαι. ἐκεῖνος γὰρ οὐ μιμησάμενος τὰς ἄλλας πόλεις, ἀλλὰ καὶ ἐναντία γνοὺς ταῖς πλείσταις προέχουσαν εὐδαιμονίᾳ τὴν πατρίδα ἀπέδειξεν.*

[3]) Velut I 10. II 2. 13. 14. III 1. IV 7. V 2. 5. VI 1. 4. VII 1—2, saepius.

[4]) Hic enim in Polit. II 1263 b 41. 1269 a 29. 1271 a 29. b 20 sqq. 1272 a 1 sqq. VII (nunc VI) 1324 b 8 Cretensium instituta cum re publica Lacedaemoniorum comparat laudatque utramque II 1272 b 28. 1273 b 25.

appellasse suo iure Schneiderus contendit, cui plerique assenserunt. Itaque hoc pro certo iam habendum esse putamus, praeter locos quos mutilatos esse facile elucet commentario de rep. Lac. neque idoneam rerum explanationem neque plenum et concinnum dicendi genus deesse eumque in propria ac peculiari materia ordine disposita ita versari ut cum alio libro quamvis simili non videatur coniunctus fuisse.

Iam ut eorum qui breviarium esse hoc opusculum opinantur ita ne G. A. Sauppii [1]) quidem sententia placet. Qui quod non absolutum esse hunc libellum sed speciem operis primis lineis descriptam arbitratur, iis quae modo disputavimus satis redarguitur. Nam mutilatam opusculi condicionem ipsi esse scriptori tribuendam nunquam credemus. Nemo profecto, etsi primas lineas ducat, tanta socordia utitur ut quae omni sensu et coniunctione careant in schedulas coniciat. Concise enim vel etiam abrupte et sine sermonis nitore atque ubertate scribimus quae deinde perpoliturі simus, sed a sana in scribendo mente non deficit nisi qui ipse insanus sit.

Itaque cum et oratione opusculum et argumento perfectius sit quam quod non ab ipso Xenophonte absolutum ac foras datum censeamus, lacunae eius et perturbationes nisi ad temporum iniuriam revocari non possunt. Neque enim veri simile esse ducimus librarium quamvis neglegentem atque socordem omnia illa vitia commisisse. Quare nos sic statuimus, antiquissimum quendam quo hic commentarius contineretur librum eundemque archetypum temporis longinquitate summopere afflictum fuisse, commaculatum, dissolutum; in prima autem extremaque pagina nec minus per reliquum saepius libellum scripturam fuisse tam obscuratam ut scriptoris verba aut vix aut omnino non iam cognoscerentur. Iam grammaticum nescio quem, cum singula folia sua opera collecta composuisset, omissis iis quae temporum diuturnitate evanuissent reliqua descripsisse admodum diligenter servata. Ita enim cur non solum totae sententiae sed singula etiam verba membraque mediis in enuntiatis excíderint facillime ex-

[1]) L. c. praef. p. XXIX.

plicatur. Neque improbabile esse putamus cap. VIII [1]) et cap. XIV [2]), cum in singulis esset utrumque foliis conscriptum, mutato foliorum ordine falsum hunc quo leguntur locum occupasse. Sane quidem pro certo quot versus in singulis foliis exstiterint explorari nequit, quoniam in omnibus fere capp. ipsoque in cap. VIII plus minusve periit. Habet autem cap. VIII ambitum aliquanto maiorem quam cap. XIV, in quo omissum esse nihil videtur. Foret igitur, si cap. VIII in uno folio conscriptum fuisse velis, statuendum cap. XIV unius folii non totum ambitum sed maiorem tantum partem explevisse. Quod facile fieri potuit, cum initio hoc caput in fine libelli collocatum esset. Sed multo iam antequam denuo compositus est libellus, cum singula codicis folia dissoluta essent, illud quo cap. XV continebatur folium aliquo casu in extremum locum devenit. Ita enim videtur factum esse ut in altera huius folii pagina perirent [3]) quae hodie ad finem eius capitis desiderantur. [4]) Iam is qui dissoluta denuo composuit quem capp. XIV et XV foliorum ordinem invenit videtur retinuisse. Quod vero ad singularum sententiarum ordinis perturbationes quae inveniuntur attinet, utrum illae iam in eo quem dixi codice male habito exstiterint an postea compositoris neglegentia sint exortae in medio relinquo. Contra graviores corruptelae procul dubio ex obscurioribus illius codicis scripturis repetendae sunt. Qua in re probabile quidem videri potest compositorem interdum ubi obscura vixque cognoscenda liber exhiberet evanida pro suis viribus restituere esse conatum, quale exemplum habemus fortasse X 2; sed plerumque illum quae perissent plane neglexisse lacunae quae inveniuntur satis ostendunt. Hoc igitur fere modo libellus eam quam nunc habet formam videtur induisse.

Quodsi quando hoc factum sit quaesiveris, certius facere iudicium veremur. Nam etsi quae II 6 et V 3 lacunosa sunt apud Plutarchum Lyc. 17 et 12 copiosius narrantur, cave tamen inde

---

[1]) Vid. p. 22 sqq.

[2]) Vid. p. 53 sqq.

[3]) Duobus quidem versibus tantum in Dindorfii ed. stereotyp. Teubn. minor est cap. XV ambitus quam cap. VIII, sed in hoc aliquantum excidisse vidimus.

[4]) Vid. p. 39 sq.

concludas in Plutarchi manibus hunc libellum fuisse pleniorem. Etenim, ut omittam de suo eum addere aliquid potuisse, non solum e Xenophonte hausit ille verum etiam ex Ephoro, Aristocrate, Phylarcho, aliis.[1]) Verum suspicari licet ne Demetrium Magnetem quidem principalem libelli habitum novisse, cum ut tam confidenter eum damnaret misera forsitan eius condicione commoveretur. Cuius sententiam Diogenes Laertius II 57 in fine eius quem vitae Xenophontis subiunxit catalogi sic tradit: *συνέγραψε δὲ Κυνηγετικὸν καὶ Ἱππαρχικὸν ..... Ἀγησίλαόν τε καὶ Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων Πολιτείαν, ἣν φησιν οὐκ εἶναι Ξενοφῶντος ὁ Μάγνης Δημήτριος*, unde colligitur iam Demetrii aetate duo haec de rep. Ath. et de rep. Lac. opuscula eodem quo nunc videmus modo coniuncta[2]) fuisse; nam Diogenem quem scriptorum Xenophontis indicem l. c. exhibet ex Demetrii libris deprompsisse satis constare[3]) putamus. Iam cum Demetrius illum catalogum ex indicibus bibliothecae Alexandrinae hausisse videatur, ipsa in hac bibliotheca duos hos libellos non exstitisse nisi conexos C. Wachsmuthius[4]) satis probabiliter coniecit. Qui libellum de rep. Ath. in eam quam nunc habeat formam eo fere tempore redactum esse arbitratur cum scripta Xenophontea ab Alexandrinis undique colligerentur atque componerentur. Quod si ita est, idem fortasse de libello quo de rep. Lac. agitur statuere possis, ita ut Alexandrini neutrius opusculi genuinum habitum novisse videantur.

[1]) Ipse Plutarchus in vita Lyc. praeter Xenophontem, Platonem, Aristotelem, Thucydidem complures citat scriptores, e quibus aut ipse aut per alios videtur hausisse, velut Apollodorum, Eratosthenem, Timaeum (cap. 1), Aristocratem (cap. 4), Hermippum, Sphaerum (cap. 5), alios.

[2]) Cf. Rp. Ath. I 1 *περὶ δὲ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας κ. τ. λ.*

[3]) Cf. Scheurleer De Demetrio Magnete. Diss. Lugd. Bat. 1858. Scheurleero, qui satis sane neglegenter eam rem tractavit, accuratius atque subtilius Nietzschius (Rhein. Mus. XXIII, XXIV, XXV) de Diogenis Laertii fontibus disseruit. Novam quidem nuper Maassius (Philol. Untersuch. v. Kiessl. u. v. Wilam.—Moellend. III) protulit sententiam, cum, quod vulgo creditur, Diogenem pleraque ex Demetrio desumpsisse eiusque librum ipsum usurpasse negaret. Sed Wilamowitzius (ibid. IV), etsi ne ille quidem Diogenem ex ipso Demetrio hausisse arbitratur, huius tamen librum Diogeni cum alibi potissimum tum in Xenophontis scriptorum indice unicum fuisse fontem statuit.

[4]) L. c. p. 11; vid. supra p. 1 adn. 2.

III.

Priusquam de cap. XIV quid iudicandum sit in medium proferam, consideremus quo tempore reliqua concepta esse atque conscripta videantur. Nam quamvis hac in quaestione multum versarentur interpretes, tamen quod probaretur aut nemo assecutus est aut, si quis invenit, argumentis idoneis non confirmavit. Iam cum omnium sententias expendere longum sit, videamus potius num Naumanno adstipulari liceat. Qui quod tulit iudicium, inter Ol. 98, 2 et 3 extr. (387—385 a. Chr. n.) hunc commentarium praeter cap. XIV scriptum esse, diligenter quidem stabilire studuit,[1]) sed illud ipsum quo maxime nititur argumentum parum videtur firmum esse. Putat enim VIII 1 verbis *ὅπερ καὶ γεγένηται* significari Agesilai eiusque militum oboedientiam, quippe qui a. 394 ephororum iussum secuti statim ex Asia redierint; ideoque ante a. 394 non posse libellum conscriptum esse arbitratur. At quam vellet ille significationem re vera his verbis non inesse supra ostendimus.[2]) Atque ante a. 394 opusculum compositum esse ut nihil est causae cur negemus, ita non *deest* quo commendari videatur. Contendit enim Naumannus[3]) suis oculis scriptorem antequam libellum componeret mores Spartanorum ipsa in urbe vidisse. Quod ex nonnullis locis ubi accuratior quaedam eorum descriptio inveniatur apparere existimat. Sed quae I 9 leguntur verba *καὶ πολλὰ μὲν τοιαῦτα συνεχώρει· αἵ τε γὰρ γυναῖκες διττοὺς οἴκους βούλονται κατέχειν, οἵ τε ἄνδρες ἀδελφοὺς τοῖς παισὶ προσλαμβάνειν, οἳ τοῦ μὲν γένους καὶ τῆς δυνάμεως κοινωνοῦσι, τῶν δὲ χρημάτων οὐκ ἀντιποιοῦνται* nihil valere ad fulciendam Naumanni sententiam facile perspicitur. Nam quidni scriptor quae antea (I 5—9) narravit ex aliis audire potuerit non videmus. Neque dubium est quin verba *αἵ τε γὰρ κ. τ. λ.* eiusdem iudicium contineant qua ratione mores antea

[1]) L. c. p. 21 sqq.
[2]) Vid. p. 17 sqq.
[3]) L. c. p. 4 sq.

commemoratos, qui ipsi fortasse miri esse videbantur, sibi explicaverit. Nec magis reliqui quos affert Naumannus loci eiusmodi sunt ut Spartae scriptorem antea fuisse inde concludere possis. Nam quae legimus III 5 *καὶ ἐπειδὰν εἰς τὸ φιδίτιόν γε ἀφίκωνται, ἀγαπητὸν αὐτῶν καὶ τὸ ἐρωτηθὲν ἀκοῦσαι*, IV 6 *ἀνάγκη δ' αὐτοῖς καὶ εὐεξίας ἐπιμελεῖσθαι· καὶ γὰρ πυκτεύουσι διὰ τὴν ἔριν ὅπου ἂν συμβάλωσι· διαλύειν μέντοι τοὺς μαχομένους πᾶς ὁ παραγενόμενος κύριος. ἢν δέ τις ἀπειθῇ τῷ διαλύοντι, ἄγει αὐτὸν ὁ παιδονόμος ἐπὶ τοὺς ἐφόρους· οἱ δὲ ζημιοῦσι μεγαλείως κ. τ. λ.*, IX 6 *ἐγὼ μὲν δὴ τοιαύτης τοῖς κακοῖς ἀτιμίας ἐπικειμένης οὐδὲν θαυμάζω τὸ προαιρεῖσθαι ἐκεῖ θάνατον ἀντὶ τοῦ οὕτως ἀτίμου τε καὶ ἐπονειδίστου βίου*, alia[1]) minime postulant ut scriptor haec omnia ipse Lacedaemone viderit. Nonne per alios de domesticis Spartanorum rebus certior fieri poterat? Sane quidem, cum et accuratius eas depingat et de aequalibus loquatur, multum cum ipsis Spartiatis antea vixerit necesse est, testium quibus fidem haberet longa sit consuetudine usus, alios eorum mores ipse viderit, de aliis studiose quaesiverit. Neque dubitandum quin ea quae de re militari Lacedaemoniorum refert, cum uberius explicata sint eademque cognitu difficiliora, ex sua rerum experientia scriptor hauserit, id quod, nisi per longius temporis spatium eum inter milites ipsisque in castris Spartanorum versatum esse statuas, factum esse nequit. At in ipsa Spartanorum urbe eum priusquam opusculum conscriberet fuisse non est cur credamus. Immo sententiae nobis occurrunt unde contrarium esse veri similius cognoscatur. Namque etsi Naumanno, qui candidum Xenophontis veri amorem praedicat, non plane assentior, cum eius animum ab ira et studio non prorsus alienum fuisse satis constet, hoc certe immerito huic scriptori obicies quod consulto et dedita opera unquam falsa tradiderit. Iam vero ubi de adulescentium Spartanorum modestia scriptor loquitur III 5 miram profert sententiam: *ἐκείνων γοῦν ἧττον μὲν ἂν φωνὴν ἀκούσαις ἢ τῶν λιθίνων, ἧττον δ' ἂν ὄμματα στρέψαις ἢ τῶν χαλκῶν, αἰδημονεστέρους δ' ἂν αὐτοὺς ἡγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων.*

[1]) Addit Naumannus II 2. 8. V 3. 4. 6. 7. 9. VI 2. IX 5. XIII 2, quibus locis de aequalibus verba fieri illi assentior.

Quanquam non dixerim Spartae, ubi Xenophontis aetate cives a pristina severitate multum desciverant, etiam puerorum atque adulescentium disciplinam relaxatam fuisse, tamen tumida haec verba, quibus rem supra verum augeri in propatulo est, non videntur ab eo scripta esse qui Spartanorum mores in ipsa eorum urbe spectavisset. Sed multo est veri similius scriptorem qui Lacedaemoniorum civitatem maxime veneraretur et coleret, cum adulescentes Spartanos ob modestiam praedicari audivisset, rem sibi animo, ut fieri solet, in maius finxisse. Omnino vero per totum libellum ita scriptor de praeclaris loquitur legibus Lycurgi ut quicquid ille sapienter instituerit ac praeceperit diligentissime etiam ab aequalibus suis observari dicat. Verum tamen inde a Lycurgi aetate usque ad scriptoris tempora Lacedaemone non pauca in deterius erant mutata atque adeo corrupta, prisca severitas, virtus, disciplina multo erat laxior facta, strenua quae ille ad sidera tollit praecepta paulatim obsoleverant. Nihilo setius scriptor quae olim Lycurgi et tum ipsius aetate erant omnino permiscet neque temporum ullum facere discrimen videtur. Nam quae cap. VII de communi omnium Spartanorum pauperie, quae de nummorum magnitudine proferuntur in scriptoris aequalibus ita non valebant. Temporis enim longinquitate, bellis prospere peractis, perpetua peregrinorum consuetudine res Lacedaemone ita mutatae erant ut vetus illud Lycurgi edictum: *χρυσίον γε μὴν καὶ ἀργύριον ἐρεννᾶται, κἄν τί που φανῇ, ὁ ἔχων ζημιοῦται* (VII 6) Agesilai quidem temporibus tacita indulgentia neglegeretur. Num igitur Xenophontem cum Spartae esset haec omnia fugerunt? An vidit quidem ille mutatos esse mores Spartanorum et tamen antiquos aequalibus suis tribuit? Callide ita et dolose mentitus esse videretur, quod, quamvis angusta sit Xenophontis mens neque a praeiudicatis opinionibus libera, tamen ab animi eius simplicitate et sinceritate alienum est. Quae cum ita se habeant, nobis quidem probabilius videtur scriptorem quae de domesticis Spartanorum moribus atque institutis refert ex aliis audivisse ipsumque antequam libellum scriberet Spartae non fuisse. Iam cum vere anni 394 Xenophon cum Agesilao rege ex Asia in Graeciam redierit eodemque anno, quantum computare licet, post pugnam ad Coroneam factam amicum sit Spartam se-

cutus,[1]) ante annum 394 conscriptum esse libellum colligitur. Nam in ipso ex Asia reditu aut pugnae ad Coroneam factae tempore Xenophontem ad scribendum satis habuisse otii vix credideris. Neque igitur recte Steinius[2]) ipso a. 394 scriptum esse libellum arbitratur. Qui simul cum Naumanno errat quod VIII 2 Agesilai ex Asia reversi oboedientiam significari opinatur. Sed, quantum in hac re difficili parumque certa suspicari possis, conceptus atque conditus esse commentarius in Asia videtur cum Agesilai aliorumque Spartiatarum cottidiana Xenophon consuetudine uteretur, per longum tempus castrensi Lacedaemoniorum vitae interesset, militarem eorum disciplinam suis oculis videret deque domesticis eorundem institutis ac moribus permultum, ut consentaneum, audiret. Namque eo tempore quo in Graecia omnes adversarios domuerant Lacedaemonii atque pacaverant adeoque erant validi ut Persas in ipsorum finibus aggressi identidem devincerent, summum laudis, gloriae, potentiae culmen obtinebant ac fastigium, ut facillime Xenophon ad indagandas huius magnitudinis, quam valde admiraretur, causas posset impelli. Florebant sane atque dominabantur Lacedaemonii inde a bello Peloponnesiaco feliciter ad finem perducto; sed ante Agesilai in Asiam adventum conscriptum esse opusculum propterea esse improbabile videtur quod illius demum consuetudine atque amicitia familiari[3]) scriptori consummatus tanquam videtur esse ille morum et institutorum Spartanorum amor, quo iam ex Socratica disciplina imbutus erat.

---

[1]) Cf. Plut. Ages. 18 *λέγει δὲ τὴν μάχην* (scil. ad Coroneam commissam) *ὁ Ξενοφῶν ἐκείνην οἵαν οὐκ ἄλλην τῶν πώποτε γενέσθαι· καὶ παρῆν αὐτὸς τῷ Ἀγησιλάῳ συναγωνιζόμενος ἐξ Ἀσίας διαβεβηκώς*, ibid. 20 *Ξενοφῶντα δὲ τὸν σοφὸν ἔχων* (scil. Agesilaus in patria) *μεθ' ἑαυτοῦ σπουδαζόμενον ἐκέλευσε τοὺς παῖδας ἐν Λακεδαίμονι τρέφειν μεταπεμψάμενον ὡς μαθησομένους τῶν μαθημάτων τὸ κάλλιστον κ. τ. λ.*

[2]) L c. p. 9 sqq.

[3]) Cf. K. W. Krueger. Histor. philol. Studien II p. 277 (De Xenophontis vita): 'cum Agesilaus in Asiam missus esset, huius eum comitem fuisse etiamsi testimonia non probarent (Anab. V 3, 6, Plut. Ages. 18, Diog. II 51), ex similibus locis colligi posset, veluti ex iis quibus de proeliis cum Tissapherne [Hellen.] III 4, 13 sqq. 21 sqq., de Epheso *πολέμου ἐργαστηρίῳ* ibid. § 16 sqq, Ages. 25 sqq..... et imprimis de Agesilai colloquio cum Cotye Paphlagonum rege IV 1, 3 sqq. et Pharnabazo ibid. § 30 sqq. tradidit.'

Itaque, cum Ol. 95, 4 (a. 396) Agesilaus in Asiam venerit, haud temere nobis facere videmur quod conscriptum esse hunc libellum inter Ol. 96, 1 et 2 med. (396—395 extr.) contendimus.

IV.

Restat ut de cap. XIV. iudicium feratur, cuius argumentum consilio quod in reliquo libello Xenophon secutus est mirum quantum adversari statim apparet. Illic enim summopere Spartani laudantur, hic iidem vituperantur acriter. Utrumque igitur uno tempore ab eodem conscriptum esse non potest. Quod Steinius tamen credit, qui [1]) ea quae maxime secum pugnant et interpretando et resecando ita coniungere studuit ut sententiam suam egregie sibi evicisse videretur. Sed examinemus quae ille sibi excogitavit. Neminem quidem fugit quam verba XIV 7 *φανεροί εἰσιν* (scil. *οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *οὔτε τῷ θεῷ πειθόμενοι οὔτε τοῖς Λυκούργου νόμοις* refragentur verbis VIII 1 *ἀλλὰ γὰρ ὅτι μὲν ἐν τῇ Σπάρτῃ μάλιστα πείθονται ταῖς ἀρχαῖς τε καὶ τοῖς νόμοις ἴσμεν ἅπαντες*. Iam Steinius ita nodum solvere sibi videtur ut altero loco verba *τε καὶ τοῖς νόμοις* omnino delenda esse contendat. Quae pro spuriis habere eo magis licere putat quod in priore quidem cap. VIII parte non de legibus observatis sed de magistratuum tantum auctoritate sermo sit; videri igitur illa verba, quae ibi plane abundent, ex vetere quadam huius capitis praescriptione huc irrepsisse tali fere: *περὶ τὸ πείθεσθαι ταῖς ἀρχαῖς τε καὶ τοῖς νόμοις*. Quod num cuiquam ille persuaserit valde dubitamus. Nam ceteris libelli locis ita scriptor Lycurgi leges percenset ut aut temporis praesentis forma usus etiam ab aequalibus suis observari illas perspicue dicat [2]) aut, cum eas moribus ceterorum Graecorum aequalium opponat, item de aequalibus Spartanis sermonem esse satis manifeste significet [3]); eundem hoc

[1]) L. c. p. 5 sqq.

[2]) Velut II 2. 8—11. III 5. IV 3—6. V 3. 4. 6. 7. 9. VI 2 sqq. VII 3 sqq. IX 4 sqq. X 3. 4.

[3]) Velut I 3—9. II 1—7. 12—14. III 1—4. IV 7. V 5. VI 1. VII 1. 2. X 5—7.

loco tam argute magistratus a legibus seiunxisse ut illis Spartanos etiam maxime omnium oboedire velit, non item legibus nemo credet. Atque licet in priore cap. VIII parte ipsis quidem verbis leges non commemorentur, quis idcirco τε καὶ τοῖς νόμοις verba inepta atque eicienda esse existimabit? Nam quod § 2 omnes Spartani ilico magistratibus obtemperare dicuntur, nemo ignorat hoc fieri non posse, nisi iidem legibus pareant, secundum quas magistratus munere suo funguntur. Atque infra § 5 distincte dicitur πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ὄντων μηχανημάτων καλῶν τῷ Λυκούργῳ εἰς τὸ πείθεσθαι τοῖς νόμοις ἐθέλειν τοὺς πολίτας, unde dilucide apparet quaecumque antea memorata sunt legum observandarum causa Lycurgum instituisse. Ad leges igitur etiam superiora pertinent: cum magistratui oboediunt cives, leges quoque sequuntur; ad leges tuendas ephoros instituit Lycurgus [1]), qui omnia quae contra eas facta essent ilico animadverterent atque ipsorum magistratuum licentiam secundum leges coercerent. Cf. § 4 τοσαύτην δὲ ἔχοντες [2]) δύναμιν (scil. οἱ ἔφοροι) οὐχ ὥσπερ αἱ ἄλλαι πόλεις ἐῶσι τοὺς αἱρεθέντας διάρχειν τὸ ἔτος ὅπως ἂν βούλωνται, ἀλλ' ὥσπερ οἱ τύραννοι καὶ οἱ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ἐπιστάται, ἤν τινα αἰσθάνωνται παρανομοῦντά τι, εὐθὺς παραχρῆμα κολάζουσι. Vides verba τε καὶ τοῖς νόμοις non abundare, quod vult Steinius, sed prorsus esse necessaria. Quae si subditicia essent, quonam modo inter scriptoris verba inserta ea esse putemus? Minime enim ex vetere praescriptione, uti ille opinatur; nam si quas praescriptiones librarii vel grammatici singulis operis alicuius partibus praemittebant, eas non ipsi fingere sed ex scriptoris verbis depromere solebant, cuius moris sat multa exstant exempla.

Idem vero Steinius, ut capitis XIV cum reliquo libello repugnantiam tolleret, quae hoc capite proferrentur non in universum de Lacedaemoniis dici voluit sed de solis harmostis, qui extra urbem in sociorum vel dediticiorum oppidis superbirent atque luxuriarentur. Quod quo iure ille sumpserit non assequimur. Etenim vel prima huius capitis sententia εἰ δέ τίς με ἔροιτο

[1]) Lycurgo enim ephororum institutum scriptorem tribuisse vid. supra p. 21.

[2]) Ita codices; ἔχοντας scripsit Dindorfius Morum secutus.

εἰ καὶ νῦν ἔτι μοι δοκοῦσιν οἱ Λυκούργου νόμοι ἀκίνητοι διαμένειν, τοῦτο μὰ Δί' οὐκ ἂν ἔτι θρασέως εἴποιμι, nisi ad omnes Lycurgi leges et totam civitatem, cui datae erant, refer tur, non intellegitur. Nam alibi leges illae concuti non poterant quam in Lacedaemoniorum civitate, in qua sola valebant. Sed nemini est dubium quin non de peregrinantibus solis sed de omnibus Lacedaemoniis quantum etiam tum apud eos valeant Lycurgi leges eo loco quaeratur, id quod clarius etiam ex iis quae sequuntur elucet. Nam verbis οἶδα γὰρ πρότερον μὲν Λακεδαιμονίους αἱρουμένους οἴκοι τὰ μέτρια ἔχοντας ἀλλήλοις συνεῖναι μᾶλλον ἢ ἁρμόζοντας ἐν ταῖς πόλεσι καὶ κολακευομένους διαφθείρεσθαι olim quidem Lacedaemonii maluisse dicuntur domi manere quam peregrinari vitamque agere luxuriosam; Lacedaemonii igitur omnes reprehenduntur, non soli harmostae. Neque vero quisquam non videt αὐτούς pronomen quod legitur § 3 necessario esse ad Λακεδαιμονίους (§ 2) referendum; quare § 3 haud minus quam antea universi Lacedaemonii significantur. Contra quidem dicit Steinius vituperationem Spartanorum auro quod possideant superbientium non ad Spartanos qui domi sed qui peregre essent pertinere vel eo intellegi quod sententia καὶ πρόσθεν μὲν οἶδα αὐτοὺς φοβουμένους χρυσίον ἔχοντας φαίνεσθαι, νῦν δ' ἔστιν οὓς καὶ καλλωπιζομένους ἐπὶ τῷ κεκτῆσθαι duobus enuntiatis interposita sit in quibus de arrogantia et licentia luxuriosa harmostarum sermo sit; ordinem igitur sententiarum a sana ratione abhorrere, si illa verba ad Spartanos domi degentes spectent. Sed haec argumentatio aperte falsa est. Neque enim aut quae § 2 antecedunt illis verbis (§ 3) aut quae sequuntur § 4 de solis sunt harmostis accipienda. Quid enim ξενηλασία § 4 ad harmostas? Neque ipsi harmostae § 2 dicuntur priore tempore maluisse domi inter se consuetudine uti quam in peregrinis civitatibus imperium habere sed Lacedaemonii. Iam ut §§ 1—4 ita §§ 5—7, ubi de imperii cupiditate et de existimatione quam apud reliquos Graecos habeant sermo est, nisi de universis Lacedaemoniis intellegi nequeunt. Itaque frustra Steinius cap. XIV ad solos spectare harmostas contendit; nam avaritia, peregrinandi studium, mores relaxati, immodica imperitandi libido non solis harmostis sed omnibus Spartanis generaliter obiectantur. Iam vero iidem in capp. superioribus ob

strenuam disciplinam, virtutem, legum observantiam maximopere laudantur, qua discrepantia nihil potest esse intolerabilius. Quare eodem quidem cum reliquis tempore cap. XIV ab ipso Xenophonte esse conscriptum nos Steinio nunquam concedemus.

Sed diversa tempora ipse scriptor clare indicat. Verba enim quae initio capitis leguntur: *εἰ δέ τίς με ἔροιτο εἰ καὶ νῦν ἔτι μοι δοκοῦσιν οἱ Λυκούργου νόμοι ἀκίνητοι διαμένειν, τοῦτο μὰ Δί' οὐκ ἂν ἔτι θρασέως εἴποιμι* nonne posterioris esse hoc caput temporis manifesto declarant? Nam cum antea in describendis Lacedaemoniorum moribus atque institutis non minus sua quam antiquiora tempora spectaverit, hoc loco, cum dicat 'etiam nunc', necesse est de alio quodam suo tempore eoque posteriore loquatur. Et cum profiteatur se stare Lycurgi leges non iam contendere velle, utique significat se sententiam quam antea proposuisset nunc, i. e. hoc posteriore tempore, mutavisse. Quod nollem Steinius negavisset. Hic enim, ut scilicet quicquid sententiae suae obstare videatur tollat atque removeat, alterum *ἔτι* non cum *εἴποιμι* verbo coniungendum esse sed respondere ait superiori particulae *νῦν*, ideoque ad *οὐκ ἂν ἔτι* supplenda esse verba *τοὺς νόμους ἀκινήτους διαμένειν*. Sed licet hoc subaudiatur, tamen de alio quodam suo tempore hic quoque loqueretur, quoniam in superioribus identidem contrarium significavit, etiam suo tempore Lycurgi leges valere. At revera illud supplementum non admittitur. Nam ipsa quam ad *οὐκ ἂν ἔτι* supplet sententia, *τοὺς νόμους ἀκινήτους διαμένειν*, pronomine *τοῦτο* exprimitur, quippe quod ad eam respiciat. Sed *ἔτι*, ut ipse verborum ordo ostendit, praeter omnem dubitationem coniungendum est cum verbo *εἴποιμι*, ut haec vera sit interpretatio: 'si vero quis me interrogaverit num etiam nunc Lycurgi leges immotae mihi durare videantur, hoc mehercle non iam confidenter contenderim.' Quae cum ita sint, hoc iam constare debet, et argumento capitis XIV et ipsis verbis satis multa contineri indicia unde simul cum reliquis capp. hoc non esse scriptum aperte eluceat.

Iam quaeritur utrum omnino Xenophon an alius quis hoc caput conscripsisse videatur. Atque hoc alterum quidem minus est veri simile. Namque ex alius cuiusdam scriptoris opere hoc caput depromptum et huic libello additum esse, id quod Dindor-

fius [1]) suspicatur, quanquam potuit sane id fieri, vix tamen est quod credamus. Prima enim eius capitis sententia dilucide ostendit antecessisse talia quibus Lacedaemonii ob disciplinam Lycurgi bene observatam laudarentur, atque statuendum foret alium quendam, Xenophonti aequalem, librum scripsisse huius opusculi argumento simillimum, ex quo totum hoc caput desumptum esset. Sed hoc modo non tollitur discrepantia, sed a Xenophonte ad alium scriptorem transfertur. Neque posterioris aetatis grammatico hoc caput cum Weiskio [2]) tribuemus, si temporis quod continet indicia non praetermiserimus. Verba enim *νῦν δὲ πολὺ μᾶλλον πραγματεύονται ὅπως ἄρξουσιν ἢ ὅπως ἄξιοι τούτου ἔσονται* (§ 5) scribi non potuerunt post pugnam ad Mantineam factam, quippe qua opes Spartanorum adeo fractae sint ut de imperio recuperando non iam cogitarent. Etiam prioris temporis indicium in his verbis inest: *οἶδα γὰρ πρότερον μὲν Λακεδαιμονίους αἱρουμένους οἴκοι τὰ μέτρια ἔχοντας ἀλλήλοις συνεῖναι μᾶλλον ἢ ἁρμόζοντας ἐν ταῖς πόλεσι καὶ κολακευομένους διαφθείρεσθαι* (§ 2), quippe quae eo tempore scripta sint cum harmostae Lacedaemoniorum etiam in urbibus dominarentur; iam vero post pugnam Leuctricam quicumque in Peloponnesi aliisque oppidis a Spartanis harmostae erant constituti ad unum omnes expulsi sunt. [3]) Denique quae ad finem huius capitis leguntur verba: *νῦν δὲ πολλοὶ παρακαλοῦσιν ἀλλήλους ἐπὶ τὸ διακωλύειν ἄρξαι πάλιν αὐτούς* ante pacem Antalcidicam conscripta esse nequeunt. Nam *πάλιν* vox ita tantum intellegi potest ut Lacedaemonii amissum imperium illo tempore voluisse restituere dicantur. Amiserant autem quod inde ab

---

[1]) Hic enim in edit. praef. p. XIV ut reliquum libellum Xenophonte multo esse posteriorem putat ita cap. XIV antiquiori alicui scriptori tribuit.

[2]) Cf. eius edit. p. 10.

[3]) Cf. Pausan. VIII 52, 4 *κεκακωμένον δὲ ἤδη τὸ Ἑλληνικὸν Κόνων ὁ Τιμοθέου καὶ Ἐπαμεινώνδας ἀνεκτήσατο ὁ Πολύμνιδος, ὁ μὲν ἐκ τῶν νήσων καὶ ὅσα ἐγγυτάτω θαλάσσης, Ἐπαμεινώνδας δὲ ἐκ τῶν πόλεων τῶν ἀπὸ θαλάσσης ἄνω Λακεδαιμονίων τὰς φρουρὰς καὶ ἁρμοστὰς ἐκβαλόντες καὶ δεκαδαρχίας καταπαύσαντες*, IX 6, 4 *κρατηθέντες δὲ μάχῃ περὶ Κόρινθόν τε καὶ ἐν Κορωνείᾳ νικῶσιν αὖθις ἐν Λεύκτροις ἐπιφανεστάτην νίκην, ὁπόσας γενομένας Ἕλλησιν ἴσμεν κατὰ Ἑλλήνων· καὶ δεκαδαρχίας τε ἃς Λακεδαιμόνιοι κατέστησαν ἐν ταῖς πόλεσιν ἔπαυσαν καὶ ἁρμοστὰς τοὺς Σπαρτιάτας ἐκβάλλουσιν.*

Athenis expugnatis in dies auxerant Lacedaemonii imperium ipsa illa pace, qua omnes civitates ut liberae essent decretum est. Sed iusiurandum legesque pacis nihil curantes paulo post pristinam illi potentiam recuperare studuerunt reque vera primi conatus restituendi imperii prospere iis cesserunt. Tum vero bellum Thebanum exarsit multaeque urbes Graeciae contra immodica Spartanorum studia coniuraverunt, scil. *ἐπὶ τὸ διακωλύειν μὴ πάλιν ἄρξαι αὐτούς*. Circa haec igitur tempora cap. XIV scriptum videtur. Sed accuratius forsitan tempus determinari possit. Nam a. 378 Athenienses cum Sphodriae Spartani temerarium in Piraeum impetum reiecissent, ad vindicandam Graecorum libertatem et societatem inierunt cum Thebanis et pristinum illud foedus maritimum renovarunt. [1]) Quodsi consideraveris verba huius capitis § 6 *νῦν δὲ πολλοὶ κ. τ. λ.*, quae ad coniuncta haec propulsandi Lacedaemoniorum imperii studia procul dubio spectant, non ita improbabile videbitur aut ipso anno 378 aut paulo post esse hoc caput compositum. [2]) Quae cum ita sint, cadere vides eorum sententiam qui a quodam posterioris aetatis homine hoc caput ad minuendas Spartiatarum laudes conscriptum additumque esse opinantur. Nobis, quantum ex temporis quae continet indiciis coniecturam facere licet, antiquum illud esse constat et Xenophonteum esse veri simillimum videtur. Neque tamen Naumanno [3]) ab omni parte assentimur, qui ipsum scriptorem hoc caput opusculo suo postea subiunxisse putat; nam ab eodem scriptore in eodem opusculo de eadem re tam diversa fieri iudicia satis mirum esset. Utique antequam ederet libellum haec ipse Xenophon non addidit

---

[1]) Cf. Plut. Pelop. XV *ἐκ τούτου* (scil. Sphodriae facinore irritati) *πάλιν προθυμότατα Ἀθηναῖοι τοῖς Θηβαίοις συνεμάχουν καὶ τῆς θαλάσσης ἀντελαμβάνοντο καὶ περιϊόντες ἐδέχοντο καὶ προσήγοντο τοὺς ἀποστατικῶς τῶν Ἑλλήνων ἔχοντας*, Isocr. XIV 301 cd, Xen. Hell. V 4, 34, denique Diodor. XV 28, 2 *Ἀθηναῖοι δὲ πρέσβεις τοὺς ἀξιολογωτάτους τῶν παρ' αὑτοῖς ἐξέπεμψαν ἐπὶ τὰς ὑπὸ τοὺς Λακεδαιμονίους τεταγμένας πόλεις παρακαλοῦντες ἀντέχεσθαι τῆς κοινῆς ἐλευθερίας* et ibidem § 3 *ἀεὶ δὲ μᾶλλον αὐξομένης τῆς τῶν Ἑλλήνων ὁρμῆς πολλαὶ πόλεις προσέθεντο τοῖς Ἀθηναίοις*.

[2]) Anno 378 cap. XIV scriptum esse primus vidit Nitzschius (Über die Abf. von Xenoph. Hellenica. Berl. 1871) et post eum Naumannus l. c. p. 22 sqq. fusius exposuit.

[3]) L. c. p. 18 sq. et 62.

(palam enim proposuisset quae inter se prorsus pugnarent), sed postea in suo exemplo de mutata opinione poterat adnotare quae post eius mortem inventa et deinde cum reliquo libello publicata sunt. Ipse enim Xenophon si post mutatam opinionem libellum edidisset, non poterat, ne sibi contradiceret, tolerare manifestam sententiarum repugnantiam, sed omnia ad id quod tum habebat iudicium conformare debebat.

Simillimum autem hoc caput esse extremo videtur Cyropaediae capiti (VIII 8), cum utrumque a reliquo argumento discedat scriptorisque consilio adversetur. Qua similitudine haud pauci seducti utriusque appendiculae eandem fuisse originem putarunt, ac nuperrime quidem Eichlerus [1]) longiore disputatione efficere est conatus ut libelli de rep. Lac. cap. XIV ita Cyrop. cap. VIII 8 genuinum et ab ipso scriptore brevi post reliqua conscriptum adiectumque esse. Quocum facilius consentirem, si quas multas ille Cyropaediae epilogus movet offensiones omnes sustulisset; hoc plerisque tamen locis ei non contigit. Nam, ut aliquot qui graviores videntur locos paulo accuratius spectemus, consideres velim epilogi verba quae leguntur § 8: *νόμιμον γὰρ δὴ ἦν αὐτοῖς μήτε πτύειν μήτε ἀπομύττεσθαι. δῆλον δὲ ὅτι ταῦτα οὐ τοῦ ἐν τῷ σώματι ὑγροῦ φειδόμενοι ἐνόμισαν, ἀλλὰ βουλόμενοι διὰ πόνων καὶ ἱδρῶτος τὰ σώματα στερεοῦσθαι. νῦν δὲ τὸ μὲν μὴ πτύειν μήτε ἀπομύττεσθαι ἔτι διαμένει, τὸ δὲ πονεῖν οὐδαμοῦ ἐπιτηδεύεται.* Veterem Persarum neque emungendi se neque exspuendi morem scriptor commemorat eumque etiam tum ab aequalibus suis observari dicit; sed cum antea laborando ac sudando Persae hunc corporis humorem expulerint, sua aetate etsi mos ille retineatur, contentiones tamen atque labores corporis nihil iam curari. At in eadem Cyropaedia I 2, 16 haec habemus: *καὶ νῦν δὲ ἔτι ἐμμένει μαρτύρια καὶ τῆς μετρίας διαίτης αὐτῶν καὶ τοῦ ἐκπονεῖσθαι τὴν δίαιταν. αἰσχρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστι Πέρσαις καὶ τὸ ἀποπτύειν καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι· αἰσχρὸν δὲ ἔτι καὶ τὸ ἰόντα ποι φανερὸν γενέσθαι ἢ τοῦ οὐρῆσαι ἕνεκα ἢ καὶ ἄλλου τινὸς τοῦ τοιούτου. ταῦτα δὲ οὐκ ἂν ἐδύναντο ποιεῖν, εἰ μὴ καὶ διαίτῃ μετρίᾳ ἐχρῶντο καὶ τὸ ὑγρὸν*

[1]) De Cyropaediae capite extremo (VIII 8). Diss. Lips. Grimmae 1880.

ἐκπονοῦντες ἀνήλισκον, ὥστε ἄλλῃ τοι ἀποχωρεῖν. Hoc loco diserte Xenophon dicit Persas se non emungere neque exspuere idque fieri non posse, nisi illi et modico utantur victu et laborando corporis humorem exsudent. Quam sententiam cum superiore illa adversa fronte pugnare perspicuum est. Attamen Eichlerus re vera discrepantiam nullam exstare dicit, [1]) cum in epilogo addita legantur verba οὐ τοῦ ἐν τῷ σώματι ὑγροῦ φειδόμενοι, unde elucere potuisse Persas humorem illum in corpore retinere, ut cum excrementis excederet. Mira sane argumentatio! Immo hoc ipsum quod epilogi scriptor ita sibi rem fingit ut etiam neglectis laboribus quempiam ne exspuat vel se emungat abstinere posse dicat, contra Cyropaediam qui scripsit clare pronuntiat ταῦτα δὲ οὐκ ἂν ἐδύναντο ποιεῖν, εἰ μὴ καὶ διαίτῃ μετρίᾳ ἐχρῶντο καὶ τὸ ὑγρὸν ἐκπονοῦντες ἀνήλισκον: hoc ipsum gravem efficit discrepantiam et quae nullo interpretandi artificio tolli possit. At epilogum ait ille vehementius quoddam in Persas odium spirare. Consentio; sed nec sufficit ea causa ad excusandam hanc discrepantiam nec quid Xenophontem ad mutandum suum de moribus Persarum iudicium commoverit facile dixeris. Denique altero loco (I 2, 16) Eichlerus de Persis rusticis agi vult, altero (VIII 8, 8) de omnibus qui tunc vocabantur Persis, dominis imprimis; sed si sola spectas scriptoris verba nihilque ex arbitrio subaudis, id discrimen non invenitur. Recte autem Schenkelius [2]) scriptorem epilogi detrectandi conviciandique studio abreptum sibi ipsum adversari vidit. Legimus enim § 19 nobiles Persas ex more antiquo nisi equitantes nunquam in publicum prodisse; et § 12 regem cum comitibus se et equos venando exercere, etsi non tam frequenter quam antea id fiat, tamen non negatur. Sed § 13 equitandi studium apud pueros Persarum prorsus obsolevisse dicitur διὰ τὸ μὴ εἶναι ὅπου ἂν ἀποφαινόμενοι εὐδοκιμοῖεν, quo loco, nisi contra § 12 statuas venationem equitandi occasionem non praebere, venandi studium omnino excluditur. Manifesta haec est discrepantia. Eichlerus tamen eam esse negavit, § 13 de solis pueris, § 12 de rege eius-

[1]) L. c. p. 49.

[2]) Über die Echtheit des Epilogs der Xenoph. Kyropaedie. Neue Jahrb. für Philol. LXXXIII p. 549 sqq.

que comitibus sermonem esse dicens.[1]) Verum verba *διὰ τὸ μὴ εἶναι ὅπου ἂν ἀποφαινόμενοι εὐδοκιμοῖεν* non de pueris solis sed in universum sunt accipienda; nam si aetate provectiores equitandi artem ostendentes gloriam sibi parare potuissent, nulla erat causa cur hoc studium exstingueretur. Iisdem autem locis (§§ 12, 13) aperte contradicitur iis quae Xenophon ipse alibi iudicavit. Nam in Anab. I 9, 5 sq. Persarum equitandi venandique studium commemoratur et in Cyrop. VIII 1, 36 haec leguntur: *καὶ νῦν δ' ἔτι βασιλεὺς καὶ οἱ ἄλλοι οἱ περὶ βασιλέα ταῦτα ποιοῦντες διατελοῦσιν*, ubi *ταῦτα* voce ea quae antea de corporis exercitationibus quae venando fiunt dicta sunt comprehendi recte Schenkelius animadvertit.[2]) Huic sententiae verba epilogi § 12 ita demum convenirent, si non *οὐκέτι ὁμοίως* sed *ἔτι ὁμοίως* scriptum legeremus. Et quae § 13 dicuntur: *τὸ μέντοι (τοὺς παῖδας) τὰ ἱππικὰ μανθάνειν καὶ μελετᾶν ἀπέσβηκε* quomodo congruunt cum iis quae Xenophon de puerorum Persarum disciplina in Anab. I 9, 3 nobis tradit? Ibidem haec habes: *πάντες γὰρ οἱ τῶν ἀρίστων Περσῶν παῖδες ἐπὶ ταῖς βασιλέως θύραις παιδεύονται· ἔνθα πολλὴν μὲν σωφροσύνην καταμάθοι ἄν τις, αἰσχρὸν δ' οὐδὲν οὔτ' ἀκοῦσαι οὔτ' ἰδεῖν ἔστι*, in epilogi §§ 13—14 haec: *καὶ ὅτι γε οἱ παῖδες ἀκούοντες ἐκεῖ πρόσθεν τὰς δίκας δικαίως δικαζομένας ἐδόκουν μανθάνειν δικαιότητα, καὶ τοῦτο παντάπασιν ἀνέστραπται· σαφῶς γὰρ ὁρῶσι νικῶντας ὁπότεροι ἂν πλεῖον διδῶσι . . . . . νῦν δὲ ἐοίκασι ταῦτα διδασκομένοις ὅπως ὅτι πλεῖστα κακοποιῶσιν.* Nonne haec inter se plane repugnant? Diversa esse tempora ait[3]) Eichlerus, cum Anabasis decem annis ante epilogum sit confecta. Sed numquid tam brevi temporis spatio mores Persarum adeo corruptos esse putemus ut in contrarium conversi essent? Verum ipse epilogi scriptor iam inde a Cyro mortuo apud Persas omnia esse mutata atque corrupta contendit § 2 his verbis: *ἐπεὶ μέντοι Κῦρος ἐτελεύτησεν, εὐθὺς μὲν αὐτοῦ οἱ παῖδες ἐστασίαζον, εὐθὺς δὲ πόλεις καὶ ἔθνη ἀφίσταντο, πάντα δ' ἐπὶ τὸ χεῖρον ἐτρέπετο.* Non magis est Xenophontis

---

[1]) L. c. p. 50.
[2]) L. c. p. 549.
[3]) L. c. p. 68.

quod legitur § 7: *τοιγαροῦν ὅστις ἂν πολεμῇ αὐτοῖς, πᾶσιν ἔξεστιν ἐν τῇ χώρᾳ αὐτῶν ἀναστρέφεσθαι ἄνευ μάχης ὅπως ἂν βούλωνται.* Certe equites Persarum satis esse metuendos ipse erat expertus cum decem Graecorum milia reduceret et postea cum Agesilaum in Asia bellantem comitaretur. Plane absurda est quae § 21 profertur sententia: *κατὰ τὴν χώραν γὰρ αὐτῶν ῥᾷον οἱ πολέμιοι ἢ οἱ φίλοι ἀναστρέφονται.* Iam quid Eichlerus? Nunquam ait [1]) obliviscendum non parvo odio Persarum totum caput scriptum esse, ut non summa diligentia aequitas et veritas semper serventur. Atque e singulis deinceps Xenophontis operibus eos affert [2]) locos qui vel odii vel contemptionis aliquid Persarum prae se ferre videantur. Verum invisos fuisse Persas Xenophonti ut Graeco non mirum est: illud quaeritur, num satis sit veri simile eum qui alibi cautius ferat iudicia sine idonea causa uno loco tantopere esse odio abreptum ut et rei veritatem neglegeret et quid ipse alibi iudicasset minime curaret. Quod nobis ille non persuadet. Comparat sane libellum cui Agesilaus inscribitur, quem dicendi genere et maiore quodam laudandi conviciandique studio huic epilogo simillimum esse concedimus; sed licet Xenophontis sit hic libellus, qua de re hodie dubitatur, tamen Agesilai laudatio haec potius est quam vitae descriptio et oratorum more persuadendi et commovendi causa res pro consilio scriptoris in melius vel in deterius augentur. Quae cum ita se habeant, nihil proficit Eichlerus quod ex elocutione et cogitandi rationibus Xenophontem epilogi scriptorem esse colligit. [3]) Tot enim tamque graves in his rebus offensiones necessario postulant ut, si quae Xenophonteae scribendi iudicandive rationis similitudines inveniantur, de imitatore quodam illius, non de ipso Xenophonte cogitemus. Quod vero alii [4]) existimarunt posteriorem aliquem Reip. Lac. epilogi (cap. XIV) exemplo adductum similia nonnulla de depravatis Persarum scripsisse moribus et Cyropaediae addidisse, id probabilius videretur, si ad Cyropaediam epilogus eadem respiceret ratione qua cap. XIV

[1]) L. c. p. 50.

[2]) L. c. p. 60 sqq.

[3]) L. c. p. 6 sqq.

[4]) Dindorfius in Cyropaediae edit. (Lips. 1858) praef. p. XXIII, Schenkelius l. c. p. 574, Naumannus l. c. p. 61.

ad reliquam de moribus et institutis Lacedaemoniorum disputationem. Sed non ita est. Cyropaedia enim exponitur quomodo rex praeclaris praeditus virtutibus imperium quamvis magnum facile regere sciat: epilogo Persae ob corruptos effeminatosque mores graviter vituperantur. Quae argumenta, quicquid Eichlerus disputavit, minime inter se referuntur. Nam postquam Cyrus rex celebratus est, qui sua virtute, humanitate, consilio populum fortiorem melioremque reddidisset, epilogo segnities, luxuria, impietas Persarum ad regum exemplum revocanda erat, quod §§ 1—6 eius scriptor sane tetigit, deinde vero imprimisque in peroratione (§ 27) plane neglexit; idem si ad Cyropaediam sua apte accommodasset, morum Persicorum vituperationem inde repetere debebat quod reges qui populum suum degenerare sinerent ad imperium administrandum idonei non essent. Sed hanc sententiam in epilogo latere Eichlerus temere contendit [1]).

Contra libelli de rep. Lac. caput XIV ita cum reliquo argumento convenit ut pariter atque illud ad *ἐπιτηδεύματα* Spartanorum pertineat. Nam iudicia quidem contraria sunt, sed pari ratione inter se referuntur. Itaque non mirum est quod Xenophonti epilogum Cyropaediae confidenter abiudicamus, Reip. Lac. caput XIV abiudicare non audemus. Etenim quae huic capiti cum reliquis capp. intercedunt discrepantiae ita videntur explicari posse ut scriptor ipse sententiam suam mutaverit atque correxerit; contra Cyropaediae epilogus non ita ad reliquum spectat opus ut idem de eo affirmare liceat.

Itaque libellus qui *Λακεδαιμονίων πολιτεία* inscribitur totus Xenophontis videtur esse, sed qualem habemus ex dissoluto et lacunoso exemplari descriptus atque compositus; cap. XIV tam antiquum est ut ab ipso Xenophonte scribi potuerit, cum experientia edoctus Lycurgi leges minus valere cognovisset; neque tamen ipse illud reliquo libello adiectum edidit, sed post eius mortem demum inventum et cum illo publicatum est.

---

[1]) L. c. p. 87.

Widener Library
003534467
3 2044 085 178 069